

FONTES HISTORIAE MARIANORUM

7

S. PAPCZYŃSKI

CHRISTUS PATIENS

FONTES HISTORIAE MARIANORUM

7

CHRISTUS PATIENS

CHRISTUS PATIENS

INSTITUTUM HISTORICUM MARIANORUM

FONTES HISTORIAE MARIANORUM

7

1. *Odrodzenie Zgromadzenia Księży Marianów*, Warszawa 1995
2. *Stolica Apostolska a biskup Jerzy Matulewicz*, Warszawa 1996
3. *Wspomnienia o błogosł. Jerzym Matulewiczu*, Warszawa 1996
4. *Užrašai*, Aidai 1998
5. *Templum Dei Mysticum*, Varsaviae 1998
6. *Orator Crucifixus sive Ultima Septem Verba Domini Nostri Iesu Christi*, Varsaviae 1998
7. *Christus Patiens*, Varsaviae 1998

CHRISTUS PATIENS

Septem Discursibus Quadragesimali Paenitentiae accomodatis
Devotae Piorum considerationi Propositus

Per Patrem Stanislaum a Iesu Maria Papczyński

Sacerdotem Polonum

Edidit

Casimirus Krzyżanowski MIC

Varsaviae 1998

© by Institutum Historicum Marianorum, Warszawa 1998

Compositio et graphica expressio

Casimirus Krzyzanowski MIC

Consultatio et correctio

Jan Bukowicz MIC

Mariański Instytut Historyczny

ul. H. Dembińskiego 2, 01-644 Warszawa

Prooemium

In hoc volumine praesentatur editio critica operis *Christus Patiens* (*CP*), quod est unum e scriptis asceticis Patris Stanislai a Iesu Maria Papczyński in lingua latina exaratis.

A. Auctor

In frontispicio *CP* uti huius operis auctor indicatur “Pater Stanislaus a Iesu Maria Sacerdos Polonus”. Forsitan inter sacerdotes Polonos anno 1690 quo *CP* typis editum est erant plures quam unus cui nomen erat: Stanislaus a Iesu Maria. Propterea probandum est quod in casu praesenti non est alius Pater Stanislaus a Iesu Maria quam Pater Papczyński, qui nomen «Stanislaus a Iesu Maria» in Instituto Scholarum Piarum nactus est et sub hoc nomine (religioso) etiam in Congregatione a se fundata mansit.

Imprimis notandum est quod P. Papczyński tempore quo sodalis Scholarum Piarum erat (1654-1670) eodem modo, i.e. sine cognomine, indicatur uti auctor trium librorum et quod in periodo “Mariano” (1670-1701) uti auctor etiam alterius libri (*TDM*) se sub solo nomine “Stanislaus a Iesu Maria” praesentat.

Pro nostra thesi quod P. Papczyński est auctor *CP* habemus imprimis *evidentiam internam*, nam in textu *CP* sunt saltem duo loca ubi auctor de certis propriis actionibus loquitur quae optime cum noto nobis curriculo vitae Patris Papczyński concordant. In primo loco auctor loquitur de sua degustatione aquae ex tribus fontibus Romae: “ex horum primo cum gustarem aquam...” (p. 29), et nihil obstat quin praesumatur quod id tempore sui primi “itineris Romani” in fine anni 1667 vel initio anni 1668 fecit (cf. *ibid.*, no. 17). In altero loco ex modo quo auctor loquitur

de coronatione Regis Michaelis (1669-1673) omnino patet quod huic “inaugurationi” ipse Cracoviae interfuit et quod in *CP* impressiones proprias ex ea refert: “*Vidimus* aureo vestitum paludamento, ...” (p. 33). Quamquam non exstant documenta quae eius praesentiam ad hanc coronationem confirmarent, scimus tamen quod eo tempore (die 29 Septembris 1669) is Cracoviae fuit et facile praesumi potest quod huic coronationi interesse voluit, quia ex electione Michaelis Wisniowiecki in Regem Poloniae valde contentus erat (cf. *ibid.*, no. 1)¹.

Ex altera parte tota traditio in Congregatione a P. Papczyński fundata eum uti auctorem *CP* agnoscit².

Sed etiam extra Congregationem Marianorum P. Papczyński agnoscitur uti auctor *CP*³.

¹ Cf. eius opus anonymum: “Panegyricus Augustissimo Principi Michaeli Korybuti Divinitus Electo Regi Poloniae, Lithuaniae [...] Magno Duci, debitae subiectionis et observantiae causa a Regio Collegio Varsaviensi Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Consecratus”, Varsaviae 1669.

Quod P. Papczyński revera est auctor huius panegyrici anonymi cf. KRZYŻANOWSKI Casimirus, *Stanislaus a Iesu Maria Papczyński, O.Imm.Conc. (1631-1701): Magister Studii Perfectionis*, Dissertatio ad Lauream in S. Theologia, Romae 1963, p. 104, no. 278.

² Sufficit notare quod in Processu Informativo Servi Dei Stanislai *Papczyński* Clericorum Marianorum Institutoris die 29 Maii 1769 P. Dionysius Kisieliński Archivista Conventus Korabioviensis Ordinis Patrum Marianorum “exhibuit librum typo impressum per Servum Dei [Stanislaum a I.M. Papczyński] de Septem Discursibus Quadragesimali poenitentiae accomodatis Anno Millesimo Sexcentesimo Nonagesimo editum sine foliorum notis extantem, cui titulus est talis: *Christus Patiens septem Discursibus Quadragesimali Poenitentiae accomodatis devotae piorum Considerationi propositus per Patrem Stanislaum a Iesu Maria Sacerdotem Polonum*, desinit autem hic liber in verbis: In ligno vitae credo quod esse situm” (PP., f. 364v). Cf. etiam: “Decretum super examine, revisione, et approbatione Operum typis editorum et Manuscriptorum Servi Dei [Stanislai a I.M. Papczyński]” e die 15 Iulii 1775, ubi sub n. 2 includitur “Liberculus cui titulus - *Christus patiens* typis editus Varsaviae anno 1690” (in: *Summarium Additionale*, Num. 3).

³ Cf. - Anon., *Vita et Scripta Quorundam e Congregatione CC.RR. Scholarum Piarum in Prov. Polona Professorum...*, Varsaviae 1812, pp. 210-211; - ESTREICHER K., *Bibliografia polska*, vol. XXIV, Kraków 1912, p. 54; - PICANYOL L, SP., *Rerum Latinarum Scriptores ex O.Sch.P.*, Romae 1956, p. 148.

B. Tempus compositionis

Ex facto quod *CP* anno 1690 typis editum est aliquis possit concludere quod P. Papczyński hoc opus parum antea conscriberet. Habemus tamen indicia sufficienter probantia quod *CP* non alio anno, sed anno 1669 vel anno 1670 scriptum est. Quod patet ex eo quod P. Papczyński hos opus scripsit:

a) post suum discessum Roma in fine ianuarii 1668, nam in *CP* refert ea quae Romae parum antea expertus est (v. sopra, A);

b) post diem 29 septembris 1669, nam in *CP* refert ea quae hoc die Cracoviae expertus est (v. *ibid.*);

c) ante an. 1671, nam P. Papczyński in *CP* loquitur de eis quae Christus anno 33 (suae mortis) passus est et tempus quo ibi de his rebus scribebat dignosci potest ex verbis: “immortalis Regis [i.e. Iesu Christi] coronationem [...] ante mille sexcentos et triginta aliquot annos peractam» (infra, p. 33); “aliquot” significat plus quam duo, sed nec pauci nec multi, proinde vix plus quam septem denotare potest; ergo ex simplici additione: 1637 plus 33 obtinetur 1670 - annus post quem auctor vix haec verba (ac proinde - uti praesumi potest - totum *CP*) scripsisse potuit.

d) ante an. 1674, nam P. Papczyński in *CP* mentionem fecit regis Michaelis uti “Serenissimi Nostri Regnantis” (*ibid.*), et Rex Michael con sua morte anno 1673 regnare cessit.

Attamen non possumus excludere quod parum ante annum 1690, i.e. ante annum quo *CP* typis editum est, P. Papczyński aliquam revisionem eius textus fecit, forsitan accomodando formam concionum ad formam discursuum ad lectores destinatum.

Si autem *CP* erat quasi proutum ad typis mandandum, cur P. Papczyński hoc opus non ante annum 1690 typis mandavit? Nescimus causam tantae ritardationis. Attamen inter possibles causas potuerunt essere tum eius magna occupatio cum arduo opere foundationis sui Instituti (a die 11 decembris 1670, quo ab Instituto Scholarum Piarum

dimissus est), tum forsitan difficultas inveniendi benefactorem qui sumptum in hoc negotium facere posset (talem benefactorem mox pro *TDM* annis 1671-1674 scripto typisque anno 1675 edito invenit).

C. Ratio et utilitas operis

Opus titulo *Christus Patiens* instructum continet septem Discursus, quos P. Papczyński, uti videtur, originaliter uti conciones quadragesimales adhibuit (sunt Discursus “Quadragesimali Paenitentiae accomodati”, ut in frontispicio *CP* legitur)⁴. In his itaque Discursibus seu concionibus auctor successive contemplatur: - Christum in horto Olivarum agonizantem (Disc. I), - Christum ibi vinculis “spontaneis” ab inimicis ligatum (Disc. II), - Christum apud columnam flagellatum (Disc. III), - Christum spinis coronatum (Disc. IV), - Christum crucem sibi baiulantem (Disc. V), - Christum crucifixum (Disc. VI), - et Christum in cruce morientem (Disc. VII).

In Discursibus supra enumeratis quaedam uniformitas constructionis inspicere potest. Quod patet ex eo, quod:

- unusquisque Discursus incipit cum pertinenti textu S. Scripturae, circa quem hic Discursus evolvitur;
- sequitur brevis introductio, in qua scopus dicti Discursus definitur;
- tunc sequitur corpus Discursus, in quattuor vel quinque puncta divisum, ubi auctor commentatur verba quibus S. Scriptura Christum patientem describit.

⁴ In *CP* exstant aliquae expressiones concionibus propriae, e.g. “ad hoc ipsum quo loquor momentum” (v. infra, p. 44: Disc. V, 3).

Ipsa passio Christi exponitur ex una parte uti opus praevaricationum nostrarum, ex altera autem parte uti opus amoris Christi erga nos. Quo pacto P. Papczyński conatur incitare animos lectorum sui operis (originaliter - audientium suorum concionum) cum ad poenitentiam et contritionem, tum ad amorem gratitudinis erga Christum, qui pro nobis et pro saluta nostra tanta passus est, qui exemplo passionis suae nobis media efficacissima ad emendationem vitae praebuit.

In fine uniuscuiusque Discursus auctor adhortatur lectores, ut his mediis corde contrito, cum fiducia et amore utantur. Nullus peccator, etiam maximus, sine spe salutis manere debeat, quia omnes in hac vita ad misericordiam Dei confugere possunt, immo debeant. P. Papczyński, verus apostolus Misericordiae Divinae, peccatores his verbis exhortat: “Metuis... immanium criminum pondere oppressus, praecipitium inferni, poenasque eius horrendas, inexplicabiles, interminabiles? Suspira, fuge, festina ad flagella Servatoris cum vera poenitudine: «Sperantem in Domino», ne iustitia plectat, “misericordia circumdabit” (Disc. III).

C. Fontes

Materia in *CP* exposita illustratur exemplis et analogiis non solum ex S. Scriptura et e vita Sanctorum, sed etiam ex historia ecclesiastica et prophana desumptis.

Sat saepe P. Papczyński in *CP* valorem suarum affirmationum circa significatum verborum S. Scripturae probat seu confirmat sententiis ex variis auctoribus desumptis. In his allegationibus nititur saepe et praecipue sententiis *Patrum et Doctorum Ecclesiae*: S. Athanasii († 373), S. Basilii Magni († 379), S. Gregorii Nazianzeni († ca 389), S. Ioannis Chrysostomi († 407), S. Hieronymi († 419), S. Augustini († 430), S. Cyrilli († 444), S. Leonis Magni († 461), S. Gregorii Magni († 604), S. Isidori Hispalensis († 636), S. Petri Damiani († 1072), S. Anselmi Cantuariensis († 1109), S. Bernardi Claraevallensis († 1153), S. Bonaventurae († 1274), S. Laurentii Iustiniani († 1456).

Attamen etiam recurrit ad *exegetas, praedicatores et scriptores vitae spiritualis*, i.e. ad opera: Tertulliani († ca 220), S. Anastasii Sinaitae († ca 700), S. Vincentii Ferrerii, OP († 1419), Lanspergii († 1539), S. Petri Alcantarensis († 1562) et Iacobi Marchantii († 1648).

D. Authenticitas textus

In hac editione critica *CP* maxime attenditur, ut textus authenticus huius operis praesentetur, i.e. textus talis uti ab auctore scriptus est. In hoc conatu non erat possibile recurrere ad manuscriptum huius operis, quia hodie non amplius existit. Proinde textus authenticus est pro nobis textus qui in prima (et hucusque unica) editione huius operis, i.e. in *CP* typis anno 1690 edito, apparet, sine tamen erroribus typographicis qui authenticitatem textus originalis vitiunt ac proinde uti tales removendi sunt.

Sunt sat multi casus ubi nullum dubium datur quin agatur de erroribus typographicis, proinde in hac editione critica hi errores correcti sunt sine ulla indicatione formae erroneae. Ubi autem etiam minimum dubium adest quin revera agatur in hoc vel alio casu de vero errore typographico et non de forma insolita ab auctore adhibita, ad verbum ab editore correctum adiungitur annotatio textualis, in qua indicatur forma originalis huius verbi (quamquam ab editore iudicata uti grammaticae vel orthographice erronea). Quod tamen differt a paucis casibus ubi auctor utitur verbis in dictionariis linguae latinae (ad quae editor accessum habet) non existentibus, sed evidenter in Polonia illo tempore in usu habitis, e.g. “dormituriens”, “senecio” (sat facile sensus talium verborum coniceri potest).

Problema particulare datur cum probatione authenticitatis *allegationum* ex Sacra Scriptura et ex auctoribus de quibus supra mentio facta est, quia in editione critica oportet non solum praesentare textum harum allegationum uti in *CP* apparent, sed ab lectore expectatur etiam earum verificatio. Infeliciter in multis casibus erat difficile vel etiam impossibile has allegationes verificare.

Imprimis notandum est quod, uti videtur, secundum normas litterarias illius temporis, allegationes non erant tam strictae, i.e. non erat necessarium allegare textum in sua integritatae formae et verborum. Quapropter aliquando accomodabantur ad diversam formam grammaticam et in eis aliquando aliqua pars *deliberate*, ut videtur, omittebatur sine tamen indicatione talis omissionis aliquo signo conventionali. Ita etiam auctor *CP* faciebat. Diversa forma grammatica in annotationibus textualibus annotatur. Huiusmodi autem omissiones, si inventae fuerunt in allegatione, in hac editione non suppletur, sed solummodo unaquaeque illarum indicatur sequenti signo: [.....]. Ubi tamen aliqua omissio facta est ob *inadvertentiam* (quod facile dignoscitur, quia tunc sine verbis omissis sensus pericopes deficit), ea suppletur in nostris annotationibus textualibus post signum: “*add.*” Ubi autem per errorem aliquid additum est ab auctore (vel a typographo) ad textum proprium allegationis, talis additio, utpote ad textum allegatum non pertinens, indicatur in annotationibus textualibus post signum: “*om.*”

Si agitur de allegationibus ex *Sacra Scriptura*, verificatio ab editore facta est ope sat modernae editionis criticae Vulgatae ex anno 1929 et in genere textus allegati cum textibus in hac editione inventis concordant. Pauci casus diversarum lectionum, indicati in annotationibus textualibus (*BSV*), proveniunt probabiliter ex eo quod P. Papczyński diversa editione critica Vulgatae usus est.

Si autem agitur de allegationibus ex variis *auctoribus* supra indicatis, prima difficultas erat quod in non paucis casibus non potui has allegationes ad verificandum invenire quia vel non datur in *CP* ulla citatio ad eas, vel quia adsunt errores in citationibus adnexis, vel P. Papczyński diversis editionibus operum horum auctorum (vel libris eis false adscriptis) usus est, et haec est etiam probabiliter ratio cur etiam allegationes citatas invenire non potui (e.g. ob diversam divisionem sermonum). Ubi autem aliquam allegationem ex Patrologia Graeca inveni, quasi semper eam inveni in *PG* (vel in alia editione) valde diversam ab ea in *CP* (ob diversam versionem latinam ex lingua graeca in editione a

P. Papczyński adhibita), prout hoc videri potest in respectivis annotationibus textualibus.

Oportet in fine notare quod aliquando aliqua pars textus indicati in *CP* uti allegati (uncis cursivis), revera ad textum allegatum non pertinet, sed est complementum a P. Papczyński factum (quia uncis cursivis probabiliter ob errorem typographicum exstat, in hac editione uncis rotundis redditur). Ubi de tali errore editor certitudinem non habuit, partem ad textum proprium allegationis additam indicavit in annotationibus textualibus ope signi “*om.*” (uti partem ad textum allegatum non pertinentem).

E. Scopus huius editionis

Editio critica *CP* est una ex editionibus Instituti Historici Marianorum, cuius propositum est edere fontes historiam et spiritualitatem Congregationis Clericorum Marianorum respicientes. Facta et scripta Patris Fundatoris, Stanislai a I.M. Papczyński ad hanc historiam praeprimis pertinent et momentum decisivum (secundum carisma proprium) pro eius spiritualitate constituunt. Utique, hoc valet praesertim de eius scriptis respicientibus *ex professo* studium perfectionis religiosae, uti est e.g. *Norma Vitae*. Attamen etiam in *CP* inveniuntur elementa ad hoc studium pertinentia (etiamsi sub aspectu studii perfectionis Christianae⁵), ideo *CP* lectores etiam inter religiosos et praesertim Marianos invenire debeat.

Haec editio critica *CP* est tamen destinata imprimis ad translatores huius operis in linguas modernas. Utique, in Congregatione Clericorum Marianorum notatur semper maior voluntas cognoscendi opera Fundatoris, specialiter opera eius ascetica. Attamen lingua latina, in qua haec

⁵ De hoc studio auctor *CP* docet ubi loquitur: - a) de imitatione Christi patientis, i.e. de sic dicta “compassione” (ff. C_{3r}. D_{3v}-D_{4r}. I_{2r-v}. L_{r-v}); - b) de poenitentia conversionis (ff. A_{4r-v}. A_{3r}. E_{2v}. H_{r-v}); - c) de exercitio spei (ff. F_{2r}. G_{4r-v}. M_{4v}); - d) de caritate Dei affectiva (ff. C_{4v}-D_r); - e) de humilitate (f. G_{3v}).

opera sunt scripta, pro maioritate sodalium Marianorum hodie est lingua non sufficienter cognita, ideo semper maius est desiderium habendi haec opera ad usum in linguis modernis. Utique, iam facta est haec vel alia versio operum P. Papczyński in linguam polonam (pro usu sodalium), non tamen ita bene ut typis dari possit. Pro magis sicura et fideli translatione *CP* opus est non solum perito translatore, sed etiam hac editione critica, nam textus authenticus ex ea proveniens dabit translatoribus fundamentum sicurum pro fideli versione huius operis in linguas modernas.

Si versiones in linguas modernas instructae erunt annotationibus in editione critica *CP* materiam in hoc opere tractatam respicientibus, tunc ob hanc editionem criticam lectores etiam melius varia exempla in textu adducta sub aspectu doctrinae asceticae capere poterunt.

Infine licet etiam sperare quod haec editio critica *CP* adhibita erit a studiosis litteraturae religiosae et asceticae saeculi XVII, qui ad linguas originales operum recurrere solent. Textus in hac editione praesentatus est facilior (ob modernam formam graphicam) ad legendum quam *CP* ex anno 1690, et insuper - ob pauca exemplaria huius editionis originalis - etiam facilis accessus ad hanc editionem criticam ab his studiosis probabiliter in aestimatione habebitur.

F. Editiones et versiones modernae

Post primam editionem *CP* ex anno 1690 nulla alia editio huius operis apparuit usque ad tempora moderna. Prima vice hoc saeculo *CP* in lingua originali latina transcriptione dactylographica reproductum ad usumque sodalium ope machinae duplicatoriae multiplicatum est Romae anno 1959⁶, sine tamen apparatu critico et cum numerosis erroribus transcriptionis. Videtur quod haec est prima editio critica *CP* in lingua originali latina.

⁶ P. Stanislaus a Iesu Maria, *Christus Patiens*, in: Idem, *Doctor Angelicus... - .. - Christus Patiens...*, Romae 1959, ed. Congregatio CC.RR. Marianorum sub titulo Immaculatae Conceptionis B.V.M., pp. 12-42.

Recenter ab anonymo translatore facta est versio polona *CP*⁷ cum modesto apparatu critico (tamen sine annotationibus textualibus, excepta hac vel alia correctione numeris in citatione), ob quem in annotationibus materiam respicientibus datur aliqua informatio circa scriptores et opera e quibus in *CP* varii textus alleguntur.

G. Forma graphica et apparatus scientificus

In editione originali *CP* ex anno 1690 textus in omni capite (Discursu) post brevem introductionem divisus est in 4-6 punctos secundum diversam considerationem tematicam. Sed etiam cum hac divisione textus manet ibi nimis continuus, proinde in hac editione - ad lectionem facilitandam - textus uniuscuiusque puncti adhuc divisus est (*a capo*) secundum diversitatem materiae.

Uti in aliis operibus P. Stanislai a I.M. Papczyński, etiam in *CP* verba “Deus” et “Iesus” maiusculis in toto exprimuntur, sed in hac editione maiusculis solummodo initiantur.

In *CP* allegationes ex Sacra Scriptura et ex aliis scriptoribus exprimuntur uncis cursivis, in hac autem editione uncis rotundis exprimuntur, sed binis virgulis includuntur. Attamen verba propria auctoris *CP* (vel verba ex alio desumpta sed nullo modo uti allegatio denotata et editori uti talis non cognita) quae typis cursivis exprimuntur, etiam in hac forma graphica hic conservantur.

Citationes ad S.Scripturam et ad alia opera quasi semper in *CP* inveniuntur ante allegationem citatam vel decursu eius, in hac autem editione *CP* secundum usum modernum ad finem texti allegati ponuntur et modo in usu moderno adhibito exprimuntur.

In absentia solitae numerationis paginarum in *CP*, eius successiva folia denotantur in calce litteris “A”, “B”, “C” etc., ita tamen quod pro

⁷ Anon., *CHRISTUS CIERPIĄCY dostosowany do wielkopostnej pokuty podany do nabożnego rozważania ludziom pobożnym przez Ojca Stanisława od Jezusa Maryi Kapłana Polaka*, s.a. Varsaviae, 71 pp., editio provisoria “ex computer”.

unaquaque littera dantur quattuor folia (*recto et verso*). Etiam si non in omnibus foliis (ob errorem typographicum?) litterae sunt typis expressae, in hac editione dicta denotatio foliorum etiam cum litteris deficientibus in textum inseritur initio cuiuscumque paginae.

Secundum normam pro Instituto Historico Marianorum stabilitam⁸ apparatus scientificus cum annotationibus elaboratus est in lingua fontis (*CP*), id est in lingua latina (proh dolor, imperfecta).

Index (seu Tabula Rerum) in editione originali *CP* absens, hic post eius textum pro commoditate lectoris adiunctus est. Attamen numerus et tituli singulorum Discursuum etiam ope “paginae vivae” (*header*) in textu indicantur.

Pro posse in elaboratione apparatus scientifici pro *CP* observantur certae normae desumptae ex sequentibus duabus instructionibus:

- 1) *Instrukcja wydawnicza dla źródeł historycznych od XVI do połowy XIX wieku*, pod red. K. Lepszego [Instructio pro editione fontium historicorum a saec. XVI ad medietatem saec. XIX, editore K. Lepszy], Wrocław 1953;
- 2) P. Bonaventura a Mehr OFM Cap., *Auxilium scriptorum - Praecepta, consilia, subsidia manuscriptis prelo parandis imprimis operum et commentariorum quae Latine vulgantur*, Romae 1953.

Abbreviationes hic concordantur cum abbreviationibus pro *Encyclopedia Katolicka*, ed. 2-da K.U.L., Lublin 1993, elaboratis.

Casimirus J. Krzyzanowski MIC

⁸ Cf. *Regulamin Mariańskiego Instytutu Historycznego* [Normae practicae Institutii Historici Marianorum], “4.

Tabula abbreviationum et siglorum

- ADPD - Anselmus, *Dialogus de Passione Domini : Opera omnia*, Lugduni 1630.
- ASM - Augustinus, *Meditationes, Soliloquia et Manuale*, Taurini 1929.
- BMed - Bonaventura, *Meditationes devotissimae totius vitae domini nostri Iesu Christi*, [Papiae 1490]
- BPD - Bernardus, *De Passione Domini*, in: *S. Bernardi Claraevallensis Abbatis Primi Opera omnia*, Parisiis 1615.
- BS - *Bibliotheca Sanctorum* I-XIII, Roma 1961-70.
- BSV - *Biblia Sacra*, ed. Vulgatae, Ratisbonae 1920.
- BUT - *Biblia Utriusque Testamenti*, Oliva 1557.
- CNLD - *Cassell's New Latin Dictionary*, New York 1959.
- CLCE - Cornelius a Lapide, *Commentaria in Quattuor Evangelia*, ed. 5-a, Taurini-Romae 1941.
- CP - St. a J.M. Papczyński, *Christus Patiens*, Varsaviae 1690.
- CChrL - *Corpus christianorum seu nova Patrum collectio. Series Latina*, Turnhout 1954-
- ECat - *Enciclopedia Cattolica* I-XII, Città del Vaticano, 1948-1954.
- EI - *Enciclopedia Italiana*, 35 voll., Roma 1929-49.
- EKość - *Encyklopedia Kościelna*, ed. M. Nowodworski, 33 voll., Warszawa 1873-1933.
- HEM - Hugo, *In Evangelium secundum Matthaeum*, in: *In Evangelia...*, Coloniae Arrippinae 1621.
- ICPC - Ioannes Chrysostomus, *In omnes D. Pauli epistolas commentarii*, Basileae 1536.
- ICPH - Ioannes Chrysostomus, *In Psalmos Homiliae*, Venetiis 1549.
- IHM - Institutum Historicum Marianorum, edit.

- INPR - Isidorus, *De Nativitate Domini, Passione et Resurrectione*, Haganoae 1529.
- LEP - J. Lanspergius, *Exegesis in Passionem D.N.I.C. : Opera*, Coloniae Agrippinae 1630.
- LHP - J. Lanspergius, *Homiliae in Passionem D.N.I.C. : ibid.*
- LITA - Laurentius Iustinianus, *De triumphali agone mediatoris Christi : Opera omnia*, Venetiis 1606.
- MOPast - I. Marchantius, *Opuscula Pastoralia...*, Coloniae Agrippinae 1642.
- OC - Ioannes Papczyński, *Orator Crucifixus...*, Cracoviae 1670.
- PAMO - Petrus de Alcantara, *De Meditatione et Oratione libellus aureus*, Coloniae Agrippinae 1624.
- PDIC - Petrus Damianus, *De Inventione S. Crucis : D. Petri Damiani Opera*, Romae 1606.
- PEK - *Podręczna Encyklopedia Kościelna I-XLIV*, ed. Z. Chetmicki et al., Warszawa 1904-1916.
- PG - *Patrologiae cursus completus, Series Graeca I-CLXI*, ed. J.P. Migne, Paris 1857-66.
- PL - *Patrologiae cursus completus, Series Latina I-CCXVII*, ed. J.P. Migne, Paris 1878-90.
- Positio - *Posnanien. Beatificationis et Canonizat. S.D. Stanislai a I.M. Papczyński...*, *Positio super Introductione Causae et super Virtutibus*, Romae 1977.
- P.P. - *Copia Publica Transumpti Processus Ordinaria auctoritate in Curia Posnanien. constructi super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum Servi Dei Stanislai Papczyński Clericorum Marianorum Institutoris.* - Arch. Postulat. Gen. PP. Marianorum, Romae.
- TDM - St. a J.M. Papczyński, *Templum Dei Mysticum...*, Cracoviae 1675.
- VFSH - Vincentius Ferrerius, *Sermones hyemales*, Lugduni 1558.

Sideribus Lunae radiant extrema duobus
Cornua, sed medium recta Sagitta tenet.
Luna piam, doctam signant duo Sidera, mentem,
Zelosum pectus recta Sagitta notat.
Quandoquidem triplici nitet hac virtute; Corona
Antistes triplici nonne nitere queat?¹

EPISTOLA DEDICATORIA

E latibulis deserti mei cum Christo Patiente progressus in lucem, propitium Sidus errantibus protinus adoro, sed citra gentilissimum Luna Tua est, Illustrissime et Reverendissime Antistes². Ideo in Ecclesiae Senatusque³ Sphaera Poloni exposita, ut praesit nocti. Versantur in densissima nocte, quotquot veri honestique tramitem avertantur. His Tu, Illustrissime et Reverendissime Antistes, lumen ministras, doctrinae solidae, virtutis non fucatae, vitae integerrimae. Merito in vetustissima et clarissima Wytwicciorum familia exortus⁴, quae Trino Sidere gaudet tenebras dispellente. O si Te universi, qui debent, semper intentis oculis animisque intuerentur candidis, nullam haberes in Grege Tuo oviculam errantem! Tot ex Te radios diffundis, et lucentes

¹ Describitur sic stemma gentilitium, graphice in hac pagina expressum, Episcopi Ioannis Stanisłai Witwicki, cui hoc opus dedicatur; quod patet ex Epistola Dedicatoria, in cuius textu denuo alluditur ad varia elementa huius stemmatis; cf. infra.

² Agitur de Episcopo Ioanne Stanisłao Witwicki, Ordinario Posnaniensi (1687-1698); cf. "Hierarchia Catholica", vol. V, p. 322; supra, no. 1.

³ Illo tempore unusquisque episcopus Reipublicae (i.e. Regni Poloniae uni- ti ad Magnum Ducatum Lituaniae) membrum eius senatus erat; cf. MÜLLER Wiesław, "Diecezje w okresie potrydenckim", in: "Kościół w Polsce" II, Kraków 1969, pp. 108-109. Ep. Witwicki iam ab anno 1677, quo Episcopus Kijovenski creatus est, membrum senatum fuit; cf. PEŃSKI Adam, "Witwicki, Jan Stanisław," in: *EKOŚĆ* XXXI, 524-527.

⁴ Cf. NIESIECKI Gaspare, "Herbarz Polski" IX, Lipsk 1842, pp. 370-371, ubi tamen verba "vetustissima" et "clarissima" vix confirmationem inveniunt.

et ardentis, quot in libris Tuis saluberrime conscriptis⁵ aeternae vitae dogmata proponis; tot lumina spargis, quot verba profers; tot lampades accensas praefers, quot actiones dignissimas imitatu maximis quibusque exhibes. Luminare Tuum minus quidem sui existimatione, maius autem aliorum de Te sententium, ut decet optime iudicio.

Accedo ego illud etsi venerabundus, tamen et intrepidus, ut illuminator evadam. Quodsi hac in Opella pia, quam Tibi, Illustrissime et Reverendissime Antistes, homagii loco submisce offero, minus quid lucidum est, non dubito Sideribus Tuis illustrandum. Sane lucente mihi Astro Tuo triplici, nec ambulans in tenebris censebor, nec a feris nocturnis metuam periculum. Canum quoque latratus, si qui me invaserint⁶, uti Luna assolet, fiducia Tuae Lucis obarmatus postponam, et propitiolum mihi Tuorum Siderum beneficio canos meos in beata tranquillitate hic (Superi, arrideant) deponam. Sic Te et gratis Divinis illustriorem, et maioribus honoribus clariorem perpetuo veneremur.

Illustrissimae et Reverendissimae Celsitudinis Tuae
devotissimus Cliens
Stanislaus a I.M.

⁵ *Ep. Ioannes Stanislaus Witwicki annis 1676-1687 numerosa opera (typis edita) de quaestionibus tum religiosis tum politicis in lingua tum polona tum latina conscripsit; cf. PEŃSKI A. , op.cit., pp. 526-527.*

⁶ *Hoc velato modo P. Papczyński alludit ad accusationes e parte adversariorum sui Instituti provenientes; cf. Positio, p. 641: Doc. VII, "40: "Mortuo enim Episcopo Posnaniensi Stephano Wierzbowski, sinistre delatus ad eius successorem Stanyslaum Witwicki, ..."; ibid., pp. 809-810: Doc. XXIII, D, 12; pp. 430-431: Doc. XI, 11, intr.*

CHRISTI PATIENTIS

Quadragesimali paenitentiae accommodati^a

DISCURSUS PRIMUS

BALNEUM HORTI

“Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus” (Io 18[, 1]).

Susanna, sacris in literis nominatissima Helciae filia, habebat in pomario sui coniugis non ignobile balneum; in quo, vehementiore aestu mortificata, refrigerabat se, ac simul abluebat. Igitur “ingressa est aliquando [.....] cum duabus solis puellis, voluitque lavari in pomario” (Dan 13[, 15]). At infelici fato accidit, ut a pravissimis deprehensa et comprehensa senibus adulterii insimularetur.

Meliore successu, ut spero, educam ego vos, pii mortales, in hortum Gethsemani, atque hic apparabo vobis balneum, aut iam potius apparatus e sanguineis Christi sudoribus demonstrabo, ut in eo curarum [A_v] vestrarum ac mundanarum sollicitudinum aestu liberemini, peccatorumque vestrorum, quibus forte scatent animae vestrae, sordes, aut certe leviorum culparum, si gravioribus non estis infecti, maculas emundetis. Alacri passu me sequimini, quo ipse Christum sequor praeuntem.

1. Hortorum ingressus Dominis relaxando animo plerumque servire solet. Hic illi suas curas levare et molestam gravium cogitationum turbam iucundissimo diversi generis arborum, florumque et areolarum, et viarum simmetrice stratarum adpectu dissipare. Sic aliquando Assyriorum Rex Assuerus Aman^b perfidissimi consiliarii malitia et crudelitate in Hebraeos perturbatus e convivio se propriens regium

^a *Intenditur: “discursus” (pluralis), respectu omnium septem discursuum*

^b *n. indeclinabile; “Amana” (CP), probabiliter ob errorem typographicum*

suum nemus legitur ingressus: “Rex autem iratus surrexit, et de loco convivii intravit in hortum arboribus consitum” (Est 7[, 7]).

Servatorem pari modo nostrum Iudae proditoris nefario scelere consternatum narrat Ioannes a coena illa sacratissima, in qua se ipso discipulorum [A_{2r}] carissimam tractaverat cohortem, surrexisse, et recta cum tribus praecipuis Oliveti montem, ubi erat hortus, intrasse: “Egressus est” etc. Crediderit quispiam, eum id levandi maeroris causa, quo se torqueri fassus erat: “Tristis est anima mea usque ad mortem” (Mc 14[, 34]), fecisse: at S. Pater Cyrillus¹ docet aliud: “^aIn montem olivarum” (inquit ille) “ubi erat hortus, post coenam abiit Dominus: ut unde ruina originem traxit, inde ortum haberet reparatio^a”². In Paradisi amaenissimo vireto natura humana faedissime per originalem culpam fuit denigrata; cui primaevae maculae plures alias quisque fere mortalium proprias adiecit. Ad has itaque penitus abolendas, non modo ablundas, balneum Reparator nostri generis paraturus, hortum ingreditur olivarum: “ut unde” etc. Quis abnuat huc irruere? Quis nolit hic lavare?

2. Divus Matthaeus occupationem hoc in horto Domini caelestis exponens: “Progressus”, inquit, “pusillum cecidit^b in faciem [A_{2v}] suam orans” [Mt 26, 39]. Itane robustissimus hic Samson corruit? Itane, per quem stant omnia, cadit in faciem? Quamobrem? Peccata nostra eum presserunt et straverunt. “Posuit” enim “Dominus in eo” (praevidente id Isaia) “iniquitatem omnium nostrum” (Is 53[, 6]). Vatablus³ ex

^{a-a} Videtur quod textus in CP allegatus differt a textu infra praesentato tum ob diversam translationem e lingua graeca tum ob aliquas mutationes et complementa forsitan ab auctore facta sed hic non indicata: “Locus autem hortus erat, veteris paradisi formam gerens. Erat enim, ut ita dicam, recollectio quaedam figurarum, et omnium uno verbo in pristinum statum reversio. In paradiso quippe omnis tristitiae nostrae initium fuit, in horto vero Christi quoque passio inchoatur, quae veterum illorum omnium emendationem nobis invehit” (PG) ^b “procidit” (BSV)

¹ Cf. JUGIE Martino, “Cirillo d’Alessandria, santo” († 444) : ECat III, 1715-1724.

² CYRILLUS, Patriarcha Alexandrinus, “Commentarium in Ioannem” : PG 74, 579.

Hebraeo vertens: “^aEt Deus”, ait, “irruere fecit in eum iniquitatem omnium nostrum^a”⁴. More numerosissimi validissimique cuiusdam exercitus invasere orantem in horto Christum scelera nostra, et humi oppressere. Unde merito pius Vatis interpres Ferrerius⁵ quemlibet nostrum hic alloquitur: “Christiane, considera peccata tua ac mea partem illius exercitus extitisse, qui in Christum irruit”⁶.

3. Cum igitur audimus cum delictorum nostrorum infinitis prope legionibus pugnam inire Iesum, quid expectamus aliud, quam sanguinem? Ah! manat equidem, manat, non solum rosea frons sed paene totum corpus incurvati sub oneribus culparum totius orbis Atlantis nostri sanguineo sudore! Nam, referente [A_{3r}] D. Luca, cum “factus in agonia prolixius orabat, [...] factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram” (Lc 22[, 43]). Obstupuit olim antiquitas, cum Herculis simulacrum sudore perfusum alicubi vel spectaret, vel audiret: at nostrum quis lachrimas contineat spectator tanti talisque sudoris,

a-a *Ad textum S. Bibliae: “et Iehovah coniecit in illum iniquitates omnium nostrum” Vatablus adiecit annotationem: “Coniecit in illum [...] Ad verbum, occurrere fecit ei, vel, irruere fecit in illum” (BUT).*

³ Cf. ANON., “Vatable, François” († 1547) : EI XXXIV, 1032, ubi legitur quod hic Vatable, cuius cognomen formam Latinam “Vatablus” induit, erat “ebraista”. Eius “biblici Scholia da note manoscritte dei discepoli del V. estrasse Roberto Estienne e pubblicò nella sua edizione della Bibbia tradotta in latino da Leone di Giuda (voll. 4, Parigi 1539-1545). Ma la pubblicazione fu disapprovata dal V. stesso, perchè alle note originali erano state aggiunte dall’editore molte altre desunte da Calvino, Münster e altri protestanti. Nel 1547 l’edizione fu condannata dalla Sorbona [...] . Edizioni cattoliche furono pubblicate a Salamanca (1584) [...]. Le autentiche note del V. sono un modello di chiarezza e di precisione, e contrariamente all’uso di quell’epoca non si diffondono in polemiche teologiche, bensì insistono sul lato filologico”. Cf. etiam: ANON., “Vatablus, Franciszek, hebraista” : PEK XLI-XLII, 29.

⁴ Is 53,6, in: “Biblia Utriusque Testamenti”, cum adnotationibus Francisci Vatabli, Oliva Rob. Stephani 1557, p. 211.

⁵ Probabiliter est s. Vincentius Ferrerius († 1419), etsi non sit notus uti exegeta nec indicatur ab auctoribus vitae eius uti “Vatis [Isaiae] interpres”. Cf. BERTUCCI Sadoc, M., “Vincenzo Ferrer, santo”: BS XII, 1168-1176.

⁶ Hunc textum nec in tractatu “De Vita spirituali” nec in sermonibus s. Vincentii Ferrerii invenire potui.

quem purpureum ex veri Dei hominisque sacris artibus rivatim fluere audit, oculisque piaie mentis intuetur?

Ego quidem Tibi, optime et suavissime Iesu, vehementissime compatiator, quod haec lucta cum peccatis nostris suscepta Tibi tam gravis fuerit, ut hunc imbrem sanguineum ex divinissimo Tuo corpore satis abunde expresserit, verumtamen mihi gaudeo, et universo mortalium generi gratulor, in hoc Gethsemani recessu ex hoc Tuo sanguineo madore exortum esse balneum, quo nostris e sordibus abluamur. Huc, huc Aethiopes⁷ omnes (vos convoco peccatores) accurrite. Verum, ut albi fiatis, non sine scopis paenitentiae balneum hoc intrate. [A_{3V}]

4. Hoc ad balneum Rex paenitens adspirabat in spiritu, cum gemens caneret: “Asperges me hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbator” (Ps 50[, 9]). Hebraeis aquae loco lustralis in usu fuit lympha, cineribus imbuta vitulinis, et sanguine taurino ad emundationem sui. Posthabuit hanc talem expiationem David, et hanc respexit efficacior, quae nobis in sudore Christi, in sanguine horti olivarum balneo praeparata est. Sapientissime profecto huc anhelabat Ierosolymorum Rex. “Si enim sanguis hircorum”, ait os caeleste Paulus, “et taurorum, et cinis vitulae, aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi [.....]?” (Hebr 9[, 13]).

5. Constantino magno orbis Imperatori suasere physici, ut pro leprae, qua fuit infectus⁸, depulsione balneo ex infantum sanguine confecto uteretur. Detestatus est hanc medicinam clemens mitisque Princeps. O quot sumus nunc leprosi Constantini! quot sumus peccatores! [A_{4I}] “Lepra per totum corpus diffunditur, sic peccatum” (asserente purpura-

⁷ Sic auctor vocat peccatores, quia peccatum in traditione christiana cum colore nigro (tenebrae, nox) associatur (cf. OC, Verbum III, f. d₄), et Aethiopes pellem coloris nigri habent.

⁸ Cf. HERTLING Ludovico, “Costantino, Imperatore Romano, detto Grande” : ECat IV, 721-722. In huius articoli sectione VII intitulata “Costantino nella leggenda e nel culto” inter alia legitur quod inter fabulas hunc Imperatorem respicientes “la più importante è quella del suo battesimo per le mani di papa Silvestro e la guarigione dalla lebbra; essa si trova nel sec. VI nel Lib. Pont., ma può risalire alla 2-a metà del sec. V”. Hertling etiam varias scholas de hac fabula leprae elaboratas indicat.

to Hugone⁹) “per totum hominem ad modum cancri serpit^a”¹⁰. Huic leprae depellendae commodissimum est balneum (nam et Constantino illi profuit) innocentis Christi sanguineus sudor; qui non tantum eo, quo fusus est tempore, nobis fuit salutaris, sed nunc vel maxime, dum aeterno Patri a pientissimo Filio (modo velimus id petamusque studiosissime) pro nobis praesentatur.

Appositissime ad propositam rem Divinus Paulus: “Commendat” ait, “Deus charitatem suam in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ^b salvi erimus ab ira per ipsum” (Rom 5[, 8-9]).

6. Quid igitur restat amplius, nisi ut vos cum Propheta adhorter? “Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse; discite benefacere: quaerite iudicium, subvenite oppresso, iudicate [A_{4v}] pupillo, defendite viduam. Et venite, et arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt” (Is 1[, 16-18]), lota in balneo sudorum Filii Dei sanguineo.

*Gutta licet nobis satis una sit omnibus; unam
Nunc petimus guttam: ne pie Christe nega.
Balnea multa latent gutta sudoris in una,
Totus in hac mundus, da modo, lotus erit.*

^a om. “serpit” (HEM) ^b add. “ipsius” (BSV)

⁹ Cf. PENNA Angelo, “Ugo da San Caro (Hugo a Sancto Caro)” († 1263) : *ECat XII*, 711, ubi Hugo describitur uti “dotto esegeta e teologo”, qui “compose non pochi lavori biblici”, qui “nel 1225 entrò tra i Dominicani” et “nel 1244 fu nominato cardinale da Innocenzo IX”.

¹⁰ HUGO, “In Evangelium secundum Matthaem”, VIII, 3 : “Ugonis de S. Charo S. Romanae Ecclesiae tit. S. Sabinae Cardinalis Primi Ord. Praedicatorum”, t. VI: “In Evangelia [...]”, Coloniae Agrippinae 1621, f. 31r (ad verba: “et ecce leprosus veniens”).

DISCURSUS II
SPONTANEA VINCULA

“Cohors [.....], et tribunus, et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum, et ligaverunt eum” (Io 18[, 12]).

Sanctissimus Nolanus Pontifex Paulinus, ut viduae pauperis filium a Vandalis captum libertati ac Matri restitueret, seipsum pro illo tradidit mancipandum. Ultra se contulit in Africam, ultra vinculis obtulit ac servituti¹. Tam ardenti charitate erga proximum pectus illud Pontificium flagrabat.

Longe tamen amplior [**B_T**] et prope infinitus amor in humanum genus Filii Dei enituit. Vidit nos ab orci Tyranno ligatos vinctosque peccatorum nexibus teneri. Poterat sexcentos modos alios nobis aperiendae libertatis adhibuisse: noluit. Sed factus in similitudinem reorum vinciri ipse voluit, ut nos a vinculis solveremur. In mundum primo e caelo, deinde Ierosolymam, imminente iam necis hora suae, nostrae vero vitae, sese contulit, sponteque capiendum ligandumque permisit aeternam nobis paraturus libertatem. O charitatem immensam! o beneficium inauditum, quibus te verbis explicabo? qua complectar oratione? Spontanea saltem haec Christi vincula fuisse, ubi brevibus ostendero, suavissime, quia per illa revincti sumus, exosculabor.

1. Nondum summae pietatis convivium finierat Servator noster, cum inter ipsa caelestia fercula, divinique nectaris calicem, summo desiderio patiendi moriendique pro nobis accensus, vincirique quantocius [**B_V**] cupiens, ut non tarda victima aeterno Patri offerretur, proditorem ipse suum ita (Ioanne teste) stimulabat ad conceptum facinus nulla mora perpetrandum: “Quod facis, fac citius” (Io 13, 27). Versabat iam animo scel-

¹ Cf. CELLETTI *Maria Chiara*, “Paolino, Ponzio Meropio Anicio, vescovo di Nola, s.” († 431) : *BS X*, 156-160 (P. I: Vita); cf. etiam: *TDM XXI*, 168 : ed. IHM, p. 86, no. 8.

eratus discipulus tradendi sui Praeceptoris tempus modumque; et hac impia cogitatione sacrosanctam mensam polluebat; totus in id intentus, ut parricidali pretio suum impleret marsupium, rabiemque hostium Christi nefaria eius prodicione satiaret. Videbat hoc ille, cui nihil est occultum, scrutator cordium, et monebat accelerandi sceleris, obesse nimium sibi, nimium nobis obesse, illam cunctationem proditoris ratus. Nonnulli malefici, segnes carnifices ad se iugulandos quamprimum hortantur, eo, quod illos vitae pudeat: sed Iesus concitat Iudam ad festinandam prodicionem, quod eum taedeat vitae. Voluit enim pro nobis acceleratissime vinciri, voluit nobis captivitate sua libertatem, morte vitam sine mora afferre. Hinc [B_{2r}] illud ex aestuanti maximis incendiis charitatis in nos conceptae pectoris Aethna erumpebat prodendi sui quanto-cius flammeum desiderium: “Quod facis, fac cito”.

Quid vero mihi ista verba sonant, quae iam traditore e caenaculo egrediente, quasi triumphans de ingenti per ingentem ignominiam parta gloria, prorupisse a dilecto discipulo memoratur? “Cum [...] exisset” proditor (narrat Ioannes) “dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis, et Deus clarificatus est in eo” (Io 13, 31). Sistit hic Bernardus², atque Christum intuitus, “Gaudet”, (inquit), “et tripudiat, ^aexultat et laetatur^a, et ait: «Nunc clarificatus est Filius hominis»”³.

O amorem Filii Dei erga nos miserrimos, et ingrattissimos mortales inexplicabilem! pro quibus ille ultroneis vinculis obiicere sese, summam et singularem claritatem suam, ingentemque gloriam iudicavit: pro quorum libertate tantopere desiderabat capi et constringi, ut et pro vinculis atque cohorte proditorem stimulando expediret, et hoc iam [B_{2v}] abeunte saliret prae laetitia, tripudiaret. Quis igitur mihi spontanea vincula fuisse, quibus Redemptor ac liberator noster nostri causa ligabatur, negabit?

^{a-a} “laetatur et exultat” (PL)

² S. Bernardus Claravallensis, Doctor Ecclesiae (+ 1153).

³ BERNARDUS, (*Aliena et Supposititia, Ogerii Abbatis Lugedii Ordinis Cisterciensis*), Sermo IV: “De sermone Domini in ultima caena ad discipulos habita”, in vers. 31-33 c. XIII Ioannis, n. 2 : PL 184 (S. Bernardi Operum tomus V), 896.

2. Postquam deinde tertium orasset in horto et se ad exsiccandum passionis amarissimae calicem aeterno Patri promptissime obtulisset, senserat iam advolare Iudam, senserat iam appropinquare militem praetorium cum aulica pontificiae potestatis aggregatione. Verum ceu nihil sentiens, quia nihil metuens, excitat discipulos dormituriens ad obviam hosti procedendum: “Surgite”, (dicebat) “eamus: ecce appropinquavit, qui me tradet” (Mt 26[, 46]). Non quaerit latebras, non defensionem parat: vadit sponte in occursum inimicorum non invite capiendus, non involuntarie ligandus; atque id nostri causa. Hoc namque Doctor orbis Romanis scribens affirmatissime testatus: “traditus est”, inquit, “propter delicta nostra” (Rom 4, 25). “Dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis” (Eph 5, 2).

Liceat tam sacrum facinus [B_{3r}] prophana historia adumbrare. Philosophorum aliquis, ut amico in extrema re fidem suam probaret, carcerem pro illo subivit, donec is ultimas tabulas conficeret. Sed eo pacto tyrannus (fuit hic Dionysius siculus, ut refert Valerius Maximus⁴) alteri concessit ex carcere abire, ut, nisi ad tempus praefixum supplicio rediret, obses pro illo plecteretur. Ergo iam aderat dies, quo ferale tyranni decretum exequi necesse fuit. Itur ad carcerem, quaeritur mortis victima, et non comparente reo fideiussor educitur pro amico fidissimo trucidandus. Hic putatis illum visis apparitoribus exhorruisse? minime; putatis paenituisse mancipatae fidei? minime. Quin constantissimus ad immeritum supplicium progrediebatur, moriturus etiam, nisi alter ille morti destinatus confectis tabulis reditum accelerans tyrannum virtutis admiratione suspendisset, amicum gaudio seque tam arctae amicitiae munere in libertatem vindicasset (cf. 1. 4)⁵.

⁴ Cf. MOMIGLIANO Arnaldo, “Valerio Massimo (Valerius Maximus)” (I sec. a.C. - I sec. d.C.): *EI XXXIV*, 917-918, ubi legitur quod erat “scrittore latino, autore di una raccolta di detti e fatti memorabili (“Factorum ac dictorum memorabilium Libri IX”), [...] divisi in 95 rubriche: ogni rubrica è divisa in due parti, una per i fatti dei Romani, l'altra per gli stranieri”.

Obstupescit antiquitas tam praeclarum [B_{3v}] facinus; at non ego: celebrat hanc Damonis et Pythiae^a admirandam coniunctionem; minus ego. Quid enim admirer philosophum pro philosopho in vincula ire, a quo non dubitabat se illis expediendum? Admiror potius et vehementissime admiror Deum pro homine spontanea vincula ambire; pro homine impio, ingrato, omnibus sceleribus inquinatissimo: atque ea vincula, quibus non erat expediendus, nullo modo liberandus, verum usque ad supplicium illudque probrosissimum et crudelissimum deducendus. “^bVincula rerum omnium Domino”, ait Cyrillus⁶, “immittunt; qui ad naturam nostram descendit, ut a peccati et diaboli vinculis nos eriperet^b”⁷. O inauditam charitatem! o inexplicabilem Filii Dei in miseros mortales dilectionem!

3. Quam exacte vaticinium Isaiae hic Liberator noster implevit, qui de sua captivitate sic per illum locutus est: “Spiritus Domini super me eo, quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis [B_{4r}] misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem” (Is 61[, 1]).

^a *Sunt scriptores qui eum vocant nomine: “Phintias”; v. infra, no. 5.*

^{b-b} “Cum autem [...] Dominum cepissent, vinculis eum extrahunt, qui idcirco ad nos venit ut diabolicis vinculis nos eximeret” (PG)

⁵ *Cf. textum originale in: “Valerii Maximi Factorum et Dictorum Memorabilium Libri Novem?”, ed. C. Kempf, Lipsiae 1888, pp. 207-208 (Lib. III, c.VII, “7, Ext. 1): “Damon et Phintias Pythagoricae prudentiae sacris initiati tam fidelem inter se amicitiam iunxerant, ut, cum alterum ex his Dionysius Syracusanus [p. 208:] interficere vellet, atque is tempus ab eo, quo prius quam periret domum profectus res suas ordinaret, impetravisset, alter vadem se pro reditu eius tyranno dare non dubitaret. Solutus erat periculo mortis qui modo gladio cervices subiectas habuerat; eidem caput suum subiecerat cui securo vivere licebat. [...] Adpropinquante deinde finita die nec illo redeunte unus quisque stultitiae tam temerarium sponsorem damnabat. At is nihil se de amici constantia metuere praedicabat. Eodem autem momento et hora a Dionysio constituta et eam qui acceperat supervenit. Admiratus amborum animum tyrannus supplicium fidei remisit insuperque eos rogavit ut se in societatem amicitiae tertium sodalicii gradum mutua cultorum benivolentia recipere”.*

⁶ *Vide supra, Disc. I, no. 1.*

⁷ *CYRILLUS, op. cit., Lib. XI : PG 74, 594 (ad Io 18, 12-14).*

Qua ratione praedicavit hanc indulgentiam clausis? Ut semper solitus erat, factis magis docendo, quam verbis. Cum enim caperetur ipse, nobis tum libertas e captivitate diabolica erumpendi concessa est: cum clauderetur in tetro carcere apud Caipham, nobis tum carcer infernalis ad evadendum apertus est. Vinculis illis dirissimis, quae sacratissimis eius manibus iniecta fuere, nos a laqueis qua Daemonum, qua peccatorum, sumus exuti: catena illa gravissima, qua collum suum divinissimum circumdari atque includi voluit, nobis compedes malorum omnium disruptit.

O vere caelestis Orator! O sane sapientissimus hic, et disertissime Sanctissimus Mercurius⁸! Quam feliciter pro nostra libertate peroravit, qui sua se istius causa exuit! Non emptum fuit hoc patrocinium, quo sumus redempti; non [B_{4V}] obsequiis comparatum suffragium, quo ab omni servitute sive culpa, sive poenae, sumus absoluti. Manus tantum suas benignissimas Advocatus noster dedit vincendas, et ab orco captiva gens humana protinus est manumissa. “Traditus est propter delicta nostra” [Rom 4, 25] lubens, volens, et nos aureae, caelesti, aeterni rediti libertati. Tota moles vinculorum nostrorum omnium soluta concidit, ubi terram Gigas aethereus sponte ligandus attigit.

Rectissime D. Leo⁹: “Perpetraverit licet”, ait, “ferox turba, quod voluit, ut^a de sceleris sui exultaret^b affectu^c; maior tamen comprehensi virtus, quam comprehendentium fuit. Iudaeorum enim caecitas nihil obtinuit, nisi ut sua impietate se proderet^d; Christi vero patientia hoc egit, ut omnes sua passione liberaret^e” (serm. 6 de Passione Domini)¹⁰.

a “et” (CChrL)

b “exultarit” (ibid.)

c “effectu” (ibid.)

d “perderet” (ibid.)

e “salvaret” (ibid.)

⁸ CNLD: “Mercury, identified with the Greek Hermes...; messenger of the gods; god of oratory”. Cf. PARANDOWSKI Jan, “Mitologia”, p. 85, ubi de Mercurio (Hermes) legitur: “Na placach publicznych, w sądach i zgromadzeniach ludowych czczono go jako boga wymowy, bo... umie drugih przekonać”.

⁹ Cf. CAPUA Fr. Di, “Leone I, Papa, detto Magno, s.” († 461) : ECat VII, 1139.

¹⁰ LEO MAGNUS, “Tractatus de Passione Domini”, Feria Quarta (31 Martii 443) : CChrL 138A, 333.

En qualem actionem pro nostra libertate habuit ille caelo missus Orator: dum vincitur ab impiis, genus humanum in libertatem ex Erebo protraxit; nullum deinceps, nisi qui stulte eo redire voluerit, tartareis [C_r] licitoribus relinquens mancipandum. Quod enim gemat adhuc nostra mortalitas in aeternae mortis ergastulis, id non est Christi vinculorum defectus, sed reproborum spontaneus erga illam mortem quam sibimetipsis consciverunt, affectus.

4. Sed iam ad rem ipsam non e proximo contemplandam, at prope manibus palpandam, accedamus. Irruentibus, ductore Iuda, in hortum fatalem Praetorianis, aliisque Synagogae crudelissimae satellitibus, “sciens” Liberator noster, “quae ventura erant super eum, processit, et dixit eis: quem quaeritis?” Respondere catervatim: “Iesum Nazarenum”. Ubi autem reddidit: “Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram” (Io 18[, 4-6]). Quodque iterum, atque iterum factum est.

Hic mihi aliquis erumpet atque exclamabit: o quam non prospere fluent res iterum nostrae! Perdita libertas est, cum, qui pro ea vincendus erat, terrae suos allisit hostes, verbo prostravit. Sed nullum expavescat [C_v] malum, qui capit mysterium. Terret hostes, ac sternit Sotyr noster, ut et illis suam potentiam, et nobis immensam patefaciat charitatem. Poterat eos verbo illo suo omnipotenti, divino, ad ipsa tartara detrusisse; quia tamen isthinc nos eruere voluit, erexit prostratos illos, animavit iterum prope exanimes; vi exutos omni, venia sui invadendi, capiendi, et quidquid impietati ac ferocitati hostili luberet, agendi secum, data roboravit. Hoc ipsum calamo sacro suo depingens Lucas graphice sic Iesum erectis hostibus iterum loquentem nobis repraesentat: “Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus, cum quotidie ^afuerim vobiscum^a in templo non extendistis manum^b in me. Sed haec est hora vestra, et potestas tenebrarum” (Lc 22[, 52-53]).

a-a “*vobiscum fuerim*” (BSV)

b “*manus*” (ibid.)

Rectissime satellitibus impiis exprobrat; quod ceu latronem capturi illum venerint, qui sine scelere ullo proprio pro quovis scelerato decreverat ligari! Tantum enim latrones et malefici effugiunt vincula, cum possunt, seque capi non [C_{2r}] sinunt, conscii noxarum, certi suppliciorum, quaerunt latebras, tuentur etiam armis sese, quoad valent. Is vero ab uno etiam aliquo se teneri, duci, mactarique sinisset; qui nihil mali unquam commisit, quem arguere de peccato nemo ausus, verum propter mala nostra et peccata capi voluit, ligari voluit, pati voluit, mori voluit, ratam habente Aeterno Progenitore aeterni Filii hanc sanctissimam voluntatem: “Qui [.....] pro nobis omnibus”, ut Apostolus Romanos edocuit, “tradidit illum” [Rom 8, 32], et stringendum, et cruciandum, et necandum.

Sane cum hanc spontaneam Christi Domini captivitatem contemplor, longe illam cuiusdam Troiani militis pariter ultroneae captivitati reor esse antefendam. Duo fuerunt Aeneae commilitones, arctissimo sibi vinculo copulati amoris, Nisus et Euryalus. Hi nocte quadam per excubias Rutulorum ex obsessis castris ad suum Ducem progressi, videntes hostilem cuneum contra se tendere beneficio tenebrarum praesentissimum discrimen [C_{2v}] evadebant divisi. Captus tamen iunior Euryalus est. Hic Nisus vita sua carioris commilitonis vicem miseratus vel eum hostibus eripere, vel perire certus e latebris prosiliens exclamat:

“Me, me, adsum, qui feci: in me convertite ferrum,
o Rutuli, mea fraus omnis; nihil iste nec ausus,
nec potuit; caelum hoc et conscia sidera testor”¹¹.

Timebat Nisus, quod evenit tamen, poenas caedis in Rutulorum^a excubiis factae inter sopore opressos, de Euryalo sumendas. Ergo verus amator ab amicissimo sibi socio malum hoc aversurus ipse conatur subire, furentisque hostis rabiem ferocissimam in suum tergus transferre¹².

^a “Rutulonem” (CP), ob errorem - uti videtur - typographicum

¹¹ PUBLIUS VIRGILIUS Maro, “Aeneis”, l. IX, vv. 427-429 : “Publii Virgilii Maronis Opera”, ed. C.H. Weise, Lipsiae 1844, p. 309.

¹² Ea omnia quae hic narrantur de Niso et Euryalo desumpta sunt ex opere “Aeneis”, l. IX, vv. 351-445.

Praeclarum hoc est amoris constantissimi sive testimonium, sive (quia princeps cothurnatus cecinit) figmentum¹³. Facessat nihilominus, dum Contribulis noster, eiusdem nobiscum naturae, incarnatus Dei Filius, maiora et veriora ausus: tenendum se nostri causa, stringendum atrocissime, raptandum ad supplicium, et libentissime, et promptissime et fortissime obtulit. Nec hostes voluit [C_{3r}] perdere cum valuit, neque nos alio modo servare, quem semper obvium habebat, nisi per sua vincula. Copiam itaque dedit satellitibus suiprehendendi, ut nos ex infernalium satellitum manibus elaberemur: sui vincendi, ut nostra vincula dirumperentur; crimen nostrum totum in se transtulit, quasi non Adam, non eius infelix posteritas Deum gravissime offendisset, ita se divinae iustitiae obiecit pro nobis universis ipse sponte factus reus, nihil reus: “habitu inventus ut homo” [Phil 2, 7], ut sicut homo pro nobis caperetur, torqueretur, damnaretur, caederetur, neceretur. “Proposito ^a gaudio”, quod admirabiliter notavit Doctor gentium, “sustinuit Crucem” (Hebr 12[, 2]). “Docens nos”, quod subiciit Gregorius¹⁴, “prospera contemnere et timere, adversa pro veritate diligere ac tolerare”¹⁵. Haec enim est libertas filiorum Dei, e diaboli servitute per voluntariam Christi captivitatem emancipatorum.

5. Progredior in hac caelestis Herculis arena ulterius. Iam captus erat, iam [C_{3v}] vincula prehenso inciebantur, cum Petrus, ceu Theseus

^a *add. “sibi” (BSV)*

¹³ Cf. ROSTAGNI Augusto, “Virgilio” (70-19 a.C.): *EI XXXV, 424-431, ubi inter alia legitur quod Virgilius, is poetarum “princeps” utpote “il massimo poeta di Roma”, opus “Aeneis” uti poeta “cothurnatus” et ad “figmentum” pronus elaboravit, quia “ha attinto alla maniera dei poemi omerici, in cui l’ordine materiale è sovvertito, con caratteristico balzo di fantasia, in modo da dare rilievo soltanto a ciò ch’è vivo, ciò ch’è essenziale, a ciò che è capace di effetto drammatico” (p. 428).*

¹⁴ *Probabiliter agitur hic de s. Gregorio Magno, Summo Pontifice Romano et Doctore Ecclesiae (590-604); cf. PESCI Benedetto, “Gregorio I, Papa, detto Magno”: ECat VI, 1112-1124.*

¹⁵ *Textum hic allegatum in operibus s. Gregorii Magni ad verbum invenire non potui. Attamen similem sensum habet illud s. Gregorii Magni: “[...] crucis patibulum non refugit [...] quid nobis aliud his exemplis innuens, nisi ut debeamus huius mundi et adversa non metuere, et prospera vitare?” (Homilia in Ezechielem Prophetam, Lib. II, n. 6: PL 76, 952).*

alter¹⁶, memor ad mensam datae fidei, ut verba factis firmaret, aman-
tissimi Praeceptoris tuendi ardentissimus educit vagina mucronem
hostes ferro disiecturus. Invadit ergo Malchum viciniorem (servus erat
Pontificis), ferit aurem divinae doctrinae contemptricem; sistit audaci-
am irruentium reliquorum.

Laudatam existimatis a Iesu Christo fuisse hanc sui defensionem?
Quin severius defensorem quasi importunum intuitus: “Mitte”, dicebat,
“gladium tuum in vaginam tuam^a. Calicem, quem dedit mihi Pater, non
^bvis ut^b bibam illum”” [Io 18, 11].

Cum haec dicentem caelestem Regem audio subit mihi mentem hero-
icum Vladislai Tertii Iagiellonidae facinus, et Poloniae et Hungariae
Regis fortissimi¹⁷, Dominico huic adumbrando convenientissimum.
Vladislaus ergo et suasu et autoritate Romani Pontificis, cui parere
ducebat sanctissimum, posthabito faedere cum Turcis pacto, bellum
Europam [C_{4r}] diripientibus iterato obtulit et intulit. Multa recepit, regna
etiam recuperavit integra, acie vicit aliquoties. Tandem ipse universis
viribus accinctus totius Orientis Imperator mercatorum Christianorum,
pro pudor! (parco nationi) navigiis mari transmisso, iam in faucibus
Caucasi cum victoriosissimo exercitu in Asiam tendentem Valdislaum sti-
tit. Hic acerrime pugnatum: caesi hostes et in fugam effusissimam equi-
tes omnes coniecti: soli pedites Imperatorem (et hic erat tum flos militi-
ae Turcicae, quos Ianizeros vocamus, iam nunc validissime propagatus)
tuebantur. Hos etiam dissipaturus Vladislaus generosissimo spiritu
invadebat, cum praesentissimum Regis periculum Ioannes Huniades hun-

^a om. “tuam” (*ibid.*) ^{b-b} om. “vis ut” (*BSV*)

¹⁶ Ratio comparandi Apostolum Petrum - ob suum impetum in Malchum - cum hac
persona fabulosa invenitur probabiliter in facto quod Theseus “è un generoso gius-
tiziere, un distruttore di mostri e di giganti crudeli, un uccisore di ladroni e assassi-
ni” (“News Times”: Grande Enciclopedia Universale 18, 1043). Cf. PARANDOWSKI
op.cit., pp. 193-200.

¹⁷ Vladislaus III Iagiellonida (1424-1444), Rex Poloniae ab anno 1434 et etiam Rex
Hungariae ab anno 1440.

garicae militiae polemarchus attendens, multis eum, ut se ad castra reciperet, obtestabatur. Ille vero ore magnanimo pro Christiani populi defensione mortem contemnens: “Turpe est”, inquit, “bellum inferentem cedere; et ego vitam sanguinemque Religioni Sanctissimae propugnandae, [C_{4V}] regnisque meis tuendis libens volensque consecro”. Dixit, et fortissime dimicans inter primos occubuit¹⁸.

Magna Regis huius pietas digna Beatorum albo, magnum in Hungariam studium dignum perpetua recordatione: quod utrumque gloriosa morte, et prope voluntaria consignavit. Sed umbra tamen haec est aeterno Soli composita aut opposita. Hic enim allisos telluri hostes erexit, facultatem sui comprehendendi illis dedit, vincula suis benedictis manibus incientes dissipari a Petro prohibuit, grassantem hunc ferro in satellites non leni inreptione coercuit: nec cedere voluit periculo, nec caedi hostes permisit: cumque nihil in eum sine eius nutu possent, quidquid vellent atrocitatis exercere, libenter annuit. Omnino sponte capi voluit, teneri, ligari; et haec omnia¹⁹ propter nos, Christiani, propter nos.

Quamobrem, ut cum Paulo finiam: “Carissimi, [.....] ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam [D_r] Deo in odorem suavitatis” (Eph 5, 2). Nullam vero maiorem atque insigniorem Liberatori nostro possumus dilectionem exhibere, quam si continuo perpetuoque meminerimus: eius *Vincula spontanea* fuisse; eius captivitate nostram intercidisse; eius colligatione nobis aeternam esse allatam libertatem.

Itaque exosculemur animo, si labris non possumus, illos consecratos, qui Deitatem humanitati coniunctam dirissime stringebant, funes; illas

¹⁸ Cf. HALECKI Oskar, “Storia della Polonia”, Roma 1966, pp. 122-124.

¹⁹ In CP post “omnia” sequitur: “Eph. 2,5”. Quae citatio a nobis hoc loco omissa est, quia videtur quod ea in textu manuscripto auctoris fuit post verba: “cum Paulo finiam” (in versu sequenti). Insuper per errorem typographicum ibi exstat citatio “2,5” loco “5,2”. In hac editione haec tota citatio, iam correctata, sequitur textum allegatum (cum quo connexa est).

sacrosanctas, quae collum Sancti Sanctorum oneraverant, catenas cum lachrymis veneremur. Obsecremus denique tam beneficum Salvatorem, ut non sinat nos vinculis peccatorum in tartara abduci, sed pientissime absolutos, perfectissima, certissima, et nunquam terminanda in caelesti Patria libertate impertiatur.

*O! qui sponte capi pro me, pro meque ligari,
Passus es! Vinclis me modo solve meis,
Esse rei nulli captus, nullique ligatus;
Mancipium tantum, Christe tuum esse, volo.*

DISCURSUS III
FLAGELLA PECCATORIS

[**D_v**] “Apprehendit Pilatus Iesum, et flagellavit eum^a” (Io 19[, 1]).

Egressus quondam permissione Divina “Satan a facie Domini, percussit Iob^b”, virum illum sub sole tum felicissimum, tum iustissimum, “ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem eius: qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio” (Iob 2[, 7]). Quis tantam calamitatem nobilissimi atque sanctissimi Principis siccis oculis adspexisset? quis tetra illa sanie toto de corpore profluente non fuisset pie commotus? Amici Iob egregie sane tum functi sunt officio suo. Cum enim venissent eum invisuri “exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum [.....]. Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem^c vehementem” [Iob 2, 12-13].

En ante oculos nostros, [**D_{2r}**] Christiani, magis horrendum quotidie spectaculum obversatur: longe atrocius percussus Dei Filius, ille iustorum omnium Princeps, ille Sanctorum omnium Rex atque parens, ille Electorum omnium Caput: qui lapsus e caelo humanos induit artus, ut sic Maiestate Divinitatis velata crudelitati perditissimorum hominum, qui daemonum instrumenta fuere, liberius dilaniandus exhiberetur. Videte eum novissimum virorum, a planta pedis usque ad verticem capitis totis artubus laceratum; videte, et interea, dum dirissimam eius flagellationem prosequor, pias lachrymas abluendis eius plagis apparate: cum praesertim flagella, quibus ille caesus est, vestra meaque peccata exstiterunt.

1. Eheu! unde ordiar? aut quid proferam in medium de inexplicabili laniena Domini Servatorisque nostri? Utar hic initio pientissimi Venetiarum Patriarchae, D. Laurentii Iustiniani¹ paucis voculis:

^a *om. “eum” (BSV)* ^b *“Iobum” (CP)* ^c *add. “esse” (BSV)*

“Ligatur”, ait ille, “caeditur Iesus^a, [D_{2v}] totoque flagris corpore dissipatur. Nunc scapulas, nunc ventrem, nunc brachia, nunc crura cingunt: vulnera vulneribus, plagas plagis recentibus addunt”².

Olim divinum Paulum Iudaeis urgentibus tribunus iussit caedi flagellis, et torqueri: “Et cum astrinxissent eum loris, dicit adstanti sibi centurioni Paulus: si hominem Romanum et indemnatum licet vobis flagellare? [...] Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant: tribunus quoque timuit, postquam rescivit, quia civis Romanus esset” (Act 22, 25-29). Tanti aestimatus est, qui Romanae urbis in tabulas relatus erat. Aeterni rerum omnium Conditoris ac Domini Filius unigenitus, regnorum omnium atque caelorum, hominum et Angelorum omnipotens Monarcha, ab improbissimis daemonum satellitibus alligatus columnae marmoreae caeditur crudelissime. Sol talem, tantumque virum non modo in funesta reorum acie, sed neque in regali solio unquam adspexit. Quid est civis Romanus huic compositus? Quid omnium saeculorum Principes, [D_{3r}] Reges, Augusti? Umbra una et pulvis. Attamen repertus est nemo, qui inter crudelissimorum lictorum atrocissimas manus, et dirissima flagella posito hoc verissimo proprio et naturali Dei Filio, exclamaret: quid agitis Hebraei? licetne vobis promissum Messiam, quem summa cum gratulatione suscipere debuistis, maximo cultu adorare, tradere carnificibus excruciantum, flebilem in modum discernendum? Quem Patriarchae vestri a caelesti eius Progenitore summis precibus expetebant, quem fidelissimi Prophetae venturum praedicebant, quem sanctissimi Reges videre maximopere desiderabant, eum vos ad vestram salutem, institutionem, consola-

^a om. “Iesus” (LITA)

¹ Cf. PIVA Vittorio, “Lorenzo Giustiniani” († 1456) : *ECat VII, 1553-1555, ubi legitur quod Laurentius I., essendo iam ab anno 1433 Episcopus, anno 1451 primus Patriarcha Venetiarum, creatus est. Anno 1426 opus “De triumphali agone Christi” scripsit.*

² LAURENTIUS IUSTINIANUS, “De triumphali agone mediatoris Christi”, c. 13 : “*Divi Laurentii Iustiniani Protopatriarche Veneti Opera Omnia*”, Venetiis 1606, f. 204r.

tionem, gloriam, caelo submissum tam impie, superbe, ingrate contempsistis, ut ceu malefactorem sceleratissimum gaudeatis flagris atrocissimis, totis artubus, inaudita crudelitate, verberari, discerpi, laniari?

Ah! licetne vobis Dei Filium flagellare? Nemo ista dixit, patiente ad columnam Servatore [**D**_{3V}] pientissimo: qui compassus illi fuit, vix aliquis inventus fuerit; qui illachrymatus plane nullus. Quin quotquot aderant tam atroci spectaculo intenti, adeo hilares vultus praeseferebant, ut singulariter eius plagis se recreatos testarentur. Hoc ipse per vatem Regem caesus Iesus praedicens: “^aLaetati sunt”, inquit, “adversum me^a et convenerunt” (Ps 34[, 15]). Et procul dubio exclamabant: “Euge, euge! [.....] devoravimus eum” [Ps 34, 25].

Cum igitur gens electa ex dirissima et prope lethali flagellatione Christi Domini oblectationem habeat impiam, saltem nos in adptionem eius adsciti tam funestae caedi illius adgemamus, atque cum devotissimo Hipponensi Praesule³ suspiremus: “Domine Iesu, cum te videam flagellatum, nolo esse sine flagellis”⁴. Gaudia sunt miseris socios numerare malorum. Cum te videam sanguine perfusum, vellem oceanum transmeare lachrymarum: cum te videam susque deque concisum, omnes tibi plagas meas afflictionum, calamitatum, dolorum, [**D**_{4r}] aerumnarum, maerorum, tentationum, infamationum, iniuriarum, et quarumvis adversitatum, molestiarum, acerbitationum, mortificationum, etiam curarum sollicitudinum anxie tatum omnium puncturas, omnia vulnera animi cordisque mei humillime consecro. Alligatus tecum columnae volo esse perpetuo: si me Tibi univeris per charitatem, quis me a Te avellet? si me Tibi adiunxeris per misericordiam, quis me a Te disunget? Adhaereat anima mea post Te, suscipiat me clementissima dextera Tua. Inhaereat Capiti suo licet indignissimum membrum, et toto patienti sacro corpori tantillus atomus compatiatur.

a-a “*adversum me laetati sunt*” (BSV)

³ Cf. RATHER Kurt, “Agostino Aurelio, vescovo di Ippona, santo” († 430) : *ECat I*, 519-568. *Ab anno 396 usque ad mortem fuit Episcopus Hipponensis.*

⁴ *Non potui hunc textum in operibus s. Augustini invenire.*

2. Inspiciamus deinde tam inauditae carnificinae crudelia instrumenta, modumque invisum caedendi. Divus Vincentius Ferrerius Dominicanae familiae singulare lumen⁵ refert: “^aPrimo spinis et vepribus Christum flagellatum; mox flagellis aculeatis, tandem etiam catenis, in quarum extremitatibus [D_{4v}] unci ferrei adhaerebant: ideoque spinis dure, flagellis durius, catenis durissime flagellatum^a” (Serm. de paras.)⁶.

a-a “*virgas de spinis et vepribus acutissimis habuerunt confectas, quibus cutem aperuerunt. Illis vero fatigatis alii due flagella habuerunt, in quorum summitate erant nodi aculeis acutissimis transfixi carnem sanctam scindentes. Alii autem duo habuerunt catenas habentes uncis in summitatibus, et quasi carnem extraxerunt. [...] ista disciplina fuit triplex, s[ilicet] dura, quia virgis et spinis, et durior; quia flagellis nodatis, durissima, quia catenis ferreis Christus fuit cesus*” (VFSH)

⁵ Vide supra, Disc. I, no. 5. - In articulo ibi indicato haec definitio laudatoria s. Vincentii Ferrerii († 1419) plane iustificatur. Forsitan P. Papczyński in eo “singulare lumen” agnovit praesertim ob eius mirabilem activitatem apostolicam (1399-1412): in sua strenua evangelizatione misterium Christi et suae Ecclesiae praedicabat “attraverso tutte le vie dell’Europa occidentale”. Attamen Ecclesiam etiam suis scriptis illuminavit, inter quae notandum est eius “De Vita spirituali” - opus notissimum valdeque divulgatum (“ebbe attraverso i secoli moltissime edizioni nelle varie lingue”).

⁶ VINCENTIUS FERRERIUS, “Sermones hyemales”, Lugduni 1558, p. 735 (“In die Parasceves - Sermo unicus”). Notandum est quod in CP datur solummodo summarium textus allegati.

b-b 1) “*Nudatum Dominum vestimentis ad columnamque magnam ligatum, fecit Pilatus crudelissime a militibus [...], flagellis caedi [...]. Fuit Dominus caesus... virgis, flagellis, et uncis ferreis id est scorpionibus [...] a duobus vel quattuor militibus robustis [...]*” (LEP); - 2) “*Crudelissime itaque flagellatur Iesus ad columnam ligatus. Neque enim leviter flagellatur, sed fortissime, idque a validis viris, [...] Fuit Dominus Iesus caesus (ut multi asseverant) virgis, flagellis et uncis ferreis, qui flagellis fuerant innexi, hoc est, scorpionibus [...]*” (LHP); - 3) “*Nudatum Dominum ad magnam alligavere columnam [...]. Ligato Domino Iesu, accesserunt qui erant Dominum flagellaturi duo aut quatuor viri robusti, qui virgis ac flagellis et... uncis quibusdam ferreis, quos scorpiones vocant, innexis, Christum caedebant*” (ibid.)

⁷ Cf. TESTORE Celestino, “Lansperger (Lanspergio), Johann (Iustus von Landsberg)” († 1539) : ECat VII, 896-897, ubi legitur quod hic “monaco certosino” erat “scrittore di ascetica”, utpote in lingua latina scripsit “commentari, in forma di omelie, al Nuovo Testamento”, sed etiam “meditationi sulla vita e sulla passione di Cristo”. Hic definitur uti “pius omnino scriptor” evidenter quia “il concetto centrale da lui svolto rimane

Lanspergius autem pius omnino scriptor⁷ hanc atrocissimam flagellationem trutinans: “^bLigato”, inquit, “ad columnam Domino, accesserunt sex viri robusti Christum flagellaturi; et flagellis, virgis, ac scorpionibus, in quibus erant unci ferrei, Christus flagellatus fuit^b”⁸.

Haec instrumenta fuerint divino Corpori Sacratissimo lacerando adhibita; hic modus flagellationis dirissimae a sanctis Patribus pia contemplatione deprehensus. Primo nimirum virgis, et quidem, si Vincenzio insistimus, spineis, a binis lictoribus, deinde a totidem flagellis aculeatis, postremo sive catenis acuminatis, sive scorpionibus aduncis, illas caeli terraeque delicias, illum Patris aeterni, Matrisque illibatissimae amantissimum unigenitum fuisse laceratum.

Stultus quondam, sapientissimi regis progenies, Roboam populi temperationem onerum expetenti respondisse fertur: “Pater meus cecidit vos [E_r] flagellis, ego autem caedam vos scorpionibus” (1 Reg 12, 14). Tantum displicuit Israelitis ingenuis durum Principis minus prudentis responsum, ut tributim ad Ieroboamum defecerint, perpetuoque Domum Davidis repudiaverint. O impii! flagella Roboami non inflictis suis tergoribus, verum solummodo intenta, ferre non poterant; et nunc re ipsa Filium Dei, regiam Davidis sobolem secundum carnem, plusquam ferina atrocitate concidunt! Ubi illud naturale diligendi proximi praeceptum: quod tibi non vis, alteri ne feceris?

sempre l'amore di Dio verso gli uomini e il contraccambio che gli uomini devono dare a Dio”, et forsitan etiam quia “parla con frequenza e con stile commosso e commovente del S. Cuore [...]”.

⁸ *In operibus Lanspergii textum hic allegatum ad verbum non inveni. Videtur tamen quod, sicut in casu allegationis textus s. Vincentii Ferrerii (v. supra, no.6), etiam hic datur solummodo summarium relationis quam Lanspergius de flagellatione Christi fecit, et quidem in tribus locis suorum operum, nempe: - 1) “Exegesis in Passionem Domini Nostri Iesu Christi?”, art. 39: “Iesus flagellis caeditur” : “Ioannis Iusti Lanspergii, Natione Bavari, Illuminati ac Religiosissimi viri,... Opera in 5 tomos distribuita?, Coloniae Agrippinae 1630, t.I: “De Tempore Sermones in Evangelia et Epistolas?, p. 297s; - 2) “Homilia 32: Iesus ad columnam ligatus flagellatur” : *ibid.*, t.III, Coloniae Agrippinae 1629: “In Passionem D.N. Iesu Christi Homiliae 56”, pp. 71-72 (Art.. 32); - 3) *Ibid.*, p. 293.*

Sed relinquamus tam inauditae feritatis fabricatores: constantiam potius in ea perferenda innocentissimi et sanctissimi Domini intueamur. Mutabantur carnifices; at non ille, deficiebant vires caedentum; illius erigebantur. Stabat immotior sua columna; laetus insuper hilarisque profecto illa Prophetae versabat animo: “Ecce^a ego in flagella paratus sum” [Ps 37, 18]. O invictam animi fortitudinem! O inexplicabilem pro nobis [E_v] patiendi ardorem et alacritatem!

Reperias in Turcarum vulgo, quod oculati testes memorant, tam excellentes adulatores, qui in praetereuntis Imperatoris honorem novaculis incidant suum corpus, vultum, quandoque pectus, aut manus vulnerent serio; at mox immisso plagis apertis succo quodam persanantur; imo levissimo pretio deliniti nimium sunt prodigi sui cruoris. Damno avaram, damno assentatricem crudelitatem in artus proprios. Christi Domini, Imperatoris mei flagellati vulnera exosculor, quia mihi salutaria; flagra amplector, quia pro me vita, pro meo honore, pro gloria aeterna mea suscepta.

3. Quanquam nihil dixi, quando pro nostrum quolibet Christum esse flagellatum dixi. Flagella illa ipsa, quibus caro illius pulcherrima et sanctissima sulcabatur (quod quivis exhorrescat, meritoque deploret), quae, nisi peccata nostra fuere? Hac de re sic ipse olim Davidis ore locutus: “Congregata sunt [E_{2r}] super me flagella, et ignoravi” (Ps 34[, 15]). Anselmus Cantuariensis Archipraesul, et disertus et acutus liter-

^a “Quoniam” (BSV)

⁹ Cf. VAGAGGINI Cipriano, “Anselmo d’Aosta, santo e dottore della Chiesa” († 1109): *ECat I, 1406-1415. Anselmus anno 1093 Archiepiscopus Cantuariensis (Canterbury) creatus est. Laudatur a P. Papczyński uti “disertus et acutus literarum sacrarum penetrator” forse quia per Anselmum, qui “è essenzialmente teologo, [...] la materia su cui si esercita il lavoro teologico [...] è somministrata dalla credenza della Chiesa, dalla Scrittura, dai Padri [...]*. Notevolissima è poi, per la profondità di pensiero e rigore logico di deduzione, la spiegazione degli attributi divini [...]”.

¹⁰ Hanc allegationem verificare non potui, quia “tractatum de Passione” inter opera s. Anselmi non inveni et in aliis eius scriptis, in paucis locis ubi est sermo de flagellatione Iesu Christi, textus hic allegatus non invenitur.

arum sacrarum penetrator⁹ haec verba expendens atque exponens: “Strepitum”, inquit, “saevientium plagarum Dominus audiebat, et ignorabat flagella, quae degustabat” (trac. de Pas.)¹⁰.

Quo pacto ignorabat? Ignorantiam Christo, qui aeterna sapientia est, alicuius attribuere rei, temerarium nimis, imo valde erroneum crediderim. Sciebat ille penitus a quibus et quibus instrumentis caedebatur: quin uti Deus verus ab aeterno flagella sua non ignorabat. Verum tam fuit innocens, tam plagarum immeritus, ut more nostro per Davidem iure pronuntiaverit: “Congregata sunt super me flagella, et ignoravi”: quasi dixerit: Nullius mihi sum culpae conscius, nullius imperfectionis levissimae: nescio delictum ullum proprium, cuius causa tam atrociter verberor. Quis igitur nobis dicet, quod ille, qui scit omnia, ignorare se dicit?

Dicet ipse per Isaiam caelestis [E_{2v}] Pater: “Propter scelus populi mei percussi eum” (Is 53, 8). Omnino “vulneratus est” Dei Filius “propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus” (Is 53[, 5]). Itaque agnoscere debet unusquisque nostrum, suis peccatis Christum Dominum fuisse flagellatum; et simul ea deploret necesse est, et deploret amarissime, et deploret tamdiu, quamdiu mors illi oculos non eripiet amplius non profuturos. Affundat sanguini Dominico lachrymas, ut et verum erga ipsum amorem profiteatur, et citius veniam obtineat peccatorum: “Ut qui per se”, utor verbis Augustini, “meruit poenam, per satisfactionem huius mereatur veniam; cuique pro culpis supererat gehenna, tanto Duce iam confidat revocari ad Patriam. [...] Quid enim deliquit homo, quod non redemerit Filius Dei factus homo?” (med. 8)¹¹.

4. Vellem finire, sed me ligati ad columnam Domini mei adhuc ligatum retinet contemplatio. Itaque date veniam [E_{3r}] diutius huic flagellationi crudelissimae immoranti, et benevolentiam vestram ulterius in ea explicanda progredienti ne substrahite.

Siti gravissima gens Hebraea Aegypto educta in solitudine premebatur. Non autem poterat ibi fons aliquis reperiri; non fluidae aut stagnantes

¹¹ AUGUSTINUS, “Meditationes”, c. 8, nn. 3, 5, in: ASM, pp. 18-19.

aquae, quibus arentia et semimortua labia respergerentur: saxa nempe ac petrae omnia circumquaque occupaverant. Itaque Deus populum illum protervum licet ac rebellem miseratus, Moysi Aaronique Principibus demandat, ut educant ex petris aquas: “Loquimini ad petram”, dicebat, “et illa dabit aquas” (Num 20[, 8]). Moyses vero plura ausus, “percussit virga^a petram et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt” [Ps 77, 20].

Nunc ad Christum, cuius beatissimum rorem tot saeculis in limbo sitientes animae iustorum prope assiduis votis, a gemitibus expetebant. Et licet hanc sitim Pater aeternus potuerit diversimode recreare, ac extinguere; ut tamen insignioris charitatis [E_{3v}] manifestaret documentum, “percussit Petram, et fluxerunt aquae”, “Petra autem erat Christus” (1 Cor 10[, 4]). Quid somnio, ex hac Petra lymphas profluxisse? Cruor, cruor tam copiosus erupit; ut eius exundantiam quaternis Paradisi fluminibus Sanctus Pater Gregorius Nazianzenus¹² non fuerit veritus comparasse: “Fluebat sanguis”, inquit ipse, “et de Paradiso illo caelestis cruoris flumina manabant” (Orat. de Chr. pat.)¹³

Porro mellifluus Doctor¹⁴ hunc sanguinem Christi convertit in oleum, quod misericordiae symbolum est: ut ostendat, illum pro delictorum nostrorum expiatione ab infinita Charitate promanasse: “O Iudaei!” (vociferatur Bernardus adversus hostes innocentissimi Servatoris) “Lapides estis, sed lapideam^b percutitis molliorem! de qua^c resonat tinnitus pietatis, et ebullit oleum charitatis!” (Ser. 4. Hebd. pas.)¹⁵. Tanta quippe est Filii Dei

^a om. “virga” (BSV) ^b “lapidem” (BPD) ^c “quo” (ibid.)

¹² Cf. CATAUDELLA Quintino, “Gregorio Nazianzeno”, *Doctor Ecclesiae* († 389/390) : *ECat VI*, 1088-1096.

¹³ *Orationem “de Christo patiente” inter opera Gregorii Nazianzeni non inveni, et textum hic allegatum in aliis operibus eius secundum Indicem Generalem Rerum et Verborum vel Rerum et Verborum memorabilium non inveni.*

¹⁴ *Hoc modo indicatur s. Bernardus Claravallensis, Doctor Ecclesiae († 1153), vocatus “mellifluus” propter “mellifluam verborum ipsius praerogativam”; cf. OPPENHEIM Filippo, “Bernardo di Chiaravalle, santo, e dottore della Chiesa” : *ECat II*, 1423-1435.*

¹⁵ BERNARDUS, “Sermo Feria Quarta Hebdomadae Poenosae, De Passione Domini”, in: “Sancti Bernardi Claraevallensis Abbatis Primi Opera omnia”, Parisiis 1615, col. 142.

miseros in nos pietas, ut ne nos iustissime pro sceleribus nostris caedamur, iniustissime ipse voluerit pro [E_{4r}] iisdem flagellari tam ardentem, tam benignam, tam misericorditer, ut sacratissimus ille sanguis, qui fluminum instar erumpebat e laniato corpore, in oleum transisse misericordiae nostrorum animorum plagis curandis accommodissimum sit censendus.

Vinctus ad marmoream columnam Iesus pro cuiuslibet peccatoris quolibet peccato concisus atrocissime totus rubeo liquore inundabatur, ut quilibet peccatorum “sugeret mel de Petra, oleumque de saxo durissimo” (Deut 32[, 13]). Acerbissima quippe Domini nostri flagellatio nobis in suavissimum mel est conversa, cruorque sacratissimus in oleum desiit pietatis.

Quod ut vobis explicatius proponam, recurro ad mirabiles tres fontes, qui hodie etiam visuntur in Ecclesia D. Pauli extra moenia Romana magnifice erecta¹⁶. Ex horum primo cum gustarem aquam sanguinis habuit saporem, ex secundo lactis, ex tertio proprium¹⁷. Testatur autem sacra historia, quod cum eo loci huic Principi [E_{4v}] Ecclesiae fuisset sacrum caput demessum, ter in terra prosilierit, et subito tres fontes sanguinis, lactis, et purissimae sapidissimaeque lymphae, eruperint, quorum etsi nunc aequalis color est, tamen sapor, uti dixi me omnino id

¹⁶ *Revera illi “tres fontes” de quibus hic auctor loquitur non inveniuntur “in Ecclesia [i. e. Basilica] D. Pauli extra moenia?, sed distant ab ea ca 2,4 km.*

¹⁷ *P. Papczyński evidentem “tres fontes” visitavit ex eis degustationem aquae fecit tempore sui primi “itineris Romani” (1667-1668); cf. Positio, pp. 102-103.*

¹⁸ *Cf. ANON., “Tre Fontane”, Abbazia delle Tre Fontane 1967, pp. 7-8: “Among the hallowed spots of Rome which are dear to the feelings of veneration of the faithful, and since time immemorial have been the goal of pilgrims coming from every part of Christendom, this strip of land where Saint Paul the Apostle offered his head to the executioner’s sword in supreme testimony to his faith in Christ and to his love of Him, has always been held in the greatest honour. This spot, tertio miliario ab Urbe [...] was known in ancient times as Acque Salvie [...] and later came to be called Tre Fontane [...]. For as a legend would have it, as the head of Saint Paul was severed from his body it bounded three times as it rolled down the slight incline, and on each of these three spots a fountain is said to have miraculously sprung. [...]” Ibi etiam legitur quod “the three fountains” fuerunt “sealed up in 1950”, proinde affirmationem auctoris circa diversum eorum saporem non possumus hodie verificare.*

deprehendisse, diversissimus¹⁸. Et id non sine grandi mysterio, sanguineus enim fons ferventissimum zelum in praedicando Christo, amando, confitendo usque ad sanguinem huius Apostoli denotat: iuxta illud Christi de illo edictum: “Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel: ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati” (Act 9[, 15-16]). Ecquanta? Audite Apostolum ipsa enumerantem ubi se probat, ministrum Christi plusquam alios probatum: “In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter [.....], in itineribus saepe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in [F_r] solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore, et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in ieiuniis multis, in frigore et nuditate: praeter illa, quae extrinsecus sunt, instantia^a quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum” (2 Cor 11[, 23-28]): et tandem gladio supposita cervix. Haec sunt propria sanguinei fontis.

Ad lacteum pertinet materna teneritudo, qua filios Christo pariebat, et educabat adeo suavitate admirabili, ut omnibus omnia factus totus lacteus videretur. Neque hoc diffitetur ipse coram suis Corinthiis ita disserens: “^bLac vobis potum dedi tanquam parvulis in Christo^b” [1 Cor 3, 1-2]; quibus lacte opus est, non solido cibo.

Tertius fons aquam sapientiae salutaris, quam hic Doctor Gentium propinabat universis, designat: “Sapientiam [.....] loquimur”, testatur ipse, “inter perfectos: sapientiam vero non huius saeculi, neque principum huius saeculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram” (1 Cor 2[, 6-7]). [F_v]

Igitur sicut Paulini mysteriosi fontes aquae colorem habentes, diversum saporem, sanguinis, lactis et lymphae referunt: ita copiosissime

^a add. “*mea*” (BSV) ^{b-b} “*Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi*” (ibid.)

erumpentia flumina de flagellati Christi Domini ac Servatoris nostri corpore lacerato, licet rubea cernantur, vim tamen et virtutem mellis et olei continent; mellis, affectus in peccatores tenerrimi, quorum omnium salutem et conversionem concupiscit Redemptor omnium; olei misericordiae, qua relaxat delicta nostra, poenasque aeternas ac temporaneas nobis indulgentissime remittit propter sanguinem pro nobis ad columnam fusum: “ut sugeret”, quilibet etiam consceleratissimus, “mel de Petra, oleumque de saxo durissimo” [Deut 32, 13].

5. Huc profecto Rex paenitens collimabat, cum caneret: “Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit” (Ps 31, 10). Quot flagella merentur superbi, avari, libidinosi, furiosi, homicidae, adulteri, raptores, potatoes, iniqui, malevoli, periuri, [F_{2r}] blasphemi, impii, sacrilegi, aliique suis nominibus digni scelerati?

Omnia solus haec innocentissimus Dei Filius pro omnibus pertulit in suo sacratissimo corpore ad columnam ligatus non tam vinculis ferreis, quam funiculis charitatis: ut in hac eius dirissima, at simul amorosissime suscepta flagellatione citra praesumptionem fiduciam nostram omnem collocantes misericordiam consequamur.

Metuis, quisquis es, immanium criminum pondere oppressus, praecipitium inferni, poenasque eius horrendas, inexplicabiles, interminabiles? Suspira, fuge, festina ad flagella Servatoris cum vera poenitudine: “Sperantem in Domino”, ne iustitia plectat, “misericordia circumdabit” [Ps 31, 10].

Metuis et tu, qui timoratoris es conscientiae, non tamen commissis aut omissis aliquibus cares, ob quae olim in piacularem carcerem sis amandandus? Recurre ad flagellatum Iesum: “Sperantem” in eo “misericordia circumdabit”. Nam “^asi pro tua, ut dignum est”, ita sentiente Divo [F_{2v}] Augustino, “despicit te iustus Pater caelestis, iniquitate, respiciet te^a saltem misericors pro dilectae Sobolis charitate” (Med. cap. 8)¹⁹.

a-a “*Si me pro mea, ut dignum est, despicias iniquitate, respice me*” (ASM)

¹⁹ AUGUSTINUS, “*Meditationes*”, c. VIII, 4, in: ASM, p. 19.

Quodsi forte sit adhuc aliquis, qui iam hic pie flagellatur a Deo temporaliter, ne flagelletur aeternaliter, etiam is flagellatum ante Iesum procumbat; et ipse aut auferet eius flagella, aut minuet, aut ita suavitate caelesti condiet, ut inter ea nonnisi dulcissimas laudes omnipotenti Numini beatissima lingua decantet.

*O Iesu! enumerare tuas ceu nescio plagas;
Sic animi plagas enumerare mei!
Sed scio: curandis istis quod certius illae
Sufficiant; ergo, quod scio, idemque peto.*

DISCURSUS IV
SPINEUM DIADEMA

“Imponunt ei plectentes spineam coronam” (Mc 15[,17]).

Coronatio Regum, quam sit gloriosa, non modo celebris, qui aliquando Serenissimi Nostri Regnantis felicissimae interfuerunt inaugurationi [F_{3r}] pluribus referre possunt. Vidimus aureo vestitum paludamento, diademate gemmis corusco redimitum, sceptroque potenti inserto dextrae conspicuum. Aquilam Sarmaticam ensemque illi praelatum vidimus, et undique admirabili pompa conspeximus circumfusum. Laetitia porro tanta spectantium Procerum, populique tripudiantis erat, quam intra pectoris claustra continere non valentes in plenissimas acclamationes sexcenties erumpebant: Vivat Rex, vivat, vivat¹.

Recolamus vero hoc exiguo temporis spatio ad id nobis a Divina Providentia concesso immortalis Regis coronationem, in regia Iudaeae Metropoli ante mille sexcentos et triginta aliquot annos peractam. Eheu! qua verborum copia, qua dictionis amplitudine, illam vobis proponam? cuius ad spectaculum prae stuporis ad una doloris magnitudine vox, et vita, deberet omnino interrumpi. Aptatis tamen utcunque viribus licet tenuissimis, et intra tacitae pietatis limina [F_{3v}] concluso dolore, qua potero, tam industria, quam devotione, coeptum orationis filum praetexere conabor: totam huius crudelissimi spectaculi, pompaeque ignominiosissimae, et gravissimi cruciatus Augusti nostri, causam in delicta nostra coniecturus.

¹ *Agitur de coronatione Regis Michaelis (1669-1673), quae locum Cracoviae habuit die 29 Septembris 1669. Utique, auctor hic Regem non nominat, sed est certum quod agitur de hoc et non de alio Rege Poloniae, quia CP scriptum est ante annum 1671 (cf. supra, p. III) et certio certius auctor coronationi Regis Ioannis Casimiri (1648-1668) adstare non potuit. Ex alia parte scimus quod is Varsavia Cracoviam circa medietatem Septembris 1669 se contulit et quod erat valde contentus ex electione Michaelis Wiśniowiecki in Regem Poloniae, proinde non mirandum est quod occasione suae commorationis Cracoviae eius coronationi interfuit. Cf. Positio, pp. 115. 147. 275. 578, no. 10.*

1. Postquam Princeps ille pacis, Christus Dominus immanissime flagellis caesus fuisset, nondum exsatiata rabie Rabbinorum, “milites [.....] duxerunt eum in atrium Praetorii, et convocant totam cohortem, et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam” etc. (Mc 15[16-17]).

Meministis optime, quae capita Actionis in Iesum Synagoga principes habuere apud iniquissimum Praetorem Pilatum: “Hunc invenimus”, dicebant^a, “subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Caesari, et dicentem se Christum Regem esse” (Lc 23[2]). Itaque maiore ut despicientia afficeretur, regem quidem illum, sed scaenicum, regia purpura tectum sed detrita ac lacera, regio diademate [F_{4r}] sed e spinis compacto, regio sceptro sed arundineo spectabilem adoraverunt illusorie, ac salutaverunt: “Ave rex Iudaeorum” [Mc 15,18].

Et quod pectus Christianum durius adamante, tam funesta acerba, immani, et infami Domini dominantium coronatione non movebitur? Qui tam sunt aridi oculi, quibus hoc tristissimum atque terribile spectaculum saltem tot lacrymarum guttas, quot vident e cruentato vertice ac fronte Servatoris emanare sanguineas, non eliciat? Quae mens tam barbara, atque inhumana, quam Hominis Dei, (proh! quanta!) despectio et cruentatio non liquefaciat?

2. Nam si Purpuram hanc ipsius ante reliqua signa ludibrii et crudelitatis non tam curiose quam pie suspiciamus, et non tam corporis oculis, quam devotae mentis lumine obeamus, quam tum ab ea non dedecoris modo, verum etiam contemptus in speciosiore formam prae filiis hominum promanare sentiemus?

^a “dicebat” (CP), quod tamen pro errore (typographico) retinendum est, quia secundum contextum hoc verbum referendum est ad “principes”, et non ad Lucam (qui “dicebat”), etsi in CP citatio ad Lucam (“Luc. 23”) immediate post verbum “dicebat” sequatur. Revera auctor aliis in locis, referendo locutionem ad scriptorem textus allegati, numquam tempore Imperfecto utitur.

Olim Israelita Mardocheus iussu [F_{4v}] Regis Assueri per Aman^a Principem supremum in Urbe regia Susan regia veste ornatus, regio diademate fulgidus, regio impositus quadrupedi, per urbis omnia compta honorificentissime circumductus est, populo tam laeti spectaculi magnificentissimae pompae oculos commodante universo, Aman^b vero loco praeconis invita licet lingua proclamante: “Hoc honore condignus est, quemcumque Rex voluerit honorare” (Est 6[11]).

Honor autem Mardocheo tantus in praemium detectarum, quas duo ex Eunuchis Regi tetenderant, insidiarum, decretus fuit atque exhibitus. O quanto maiora nos universi una cum impia Synagoga Hebraea a Dei Filio supra reges omnes excellentissimo atque dignissimo beneficia accepimus! Et quo honore a nobis affectus est? “Indutus est”, (uti refert Isaias), “vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli” (Is 59, 17). Quae scelera nos perpetravimus, Pater aeternus vindicat in Filio; quas [G_r] plagas meruimus, huic infliguntur: zelus in illum effunditur, quem subire nos debuimus.

Unus aliquis Regum Phaeniciae, quod Iosephus, Hebraeorum Livius², Antiquitatum libro quarto memorat, placaturus Deos “purpuratum filium sacrificio exposuit”³.

De nostro Salvatore D. Hieronymus⁴ “singularitatem”, inquit, “sacrificii indicans veste visus est purpurea ante populum” (in cap. Mt 25)⁵. At

^a “Amanum” (CP) erronee, quia Aman est nomen indeclinabile secundum editionem Vulgatae Bibliae Sacrae ex anno 1929; cf. supra, Disc. I, 1, no. a. ^b “Amano” (CP) erronee, per eandem rationem.

² Cf. MOMIGLIANO A., “Giuseppe, Flavio (Flavius Iosephus)” (n. 37-38 d.C.) : *El XVII*, 376-377. Vocatur hic “Hebraeorum Livius”, quia sicut Titus Livius (59 a.C.- 17 d.C.) fuit historicus Romanus (in “Ab urbe condita libri” historiam Romae scripsit), ita Flavius Iosephus fuit historicus Iudaeus (in “Antiquitates Hebraicae” scripsit “un’ampia storia di Israele dalle origini all’inizio della ribellione contro Roma”).

³ Nec in libro quarto, nec in aliis libris “Antiquitatum” textum hic allegatum invenire potui.

⁴ Cf. CAVALLERA Ferdinando, “Girolamo, santo” († 420) : *ECat VI*, 652-661.

⁵ Textum hic allegatum in Commentariis s. Hieronymi in Matthaem, Libri IV : *CChrL 77*, 263-279, invenire non potui. Notandum est quod datur error in citatione:

quae isthaec sacrificii singularitas? Nempe Sacrorum ipse Princeps et Author, Creator Sacerdotum et Sacerdos Summus, exponitur sacrificandus. Furor Dei iustissimus humanae malitiae merito succensentis placandus erat. Quis vero Deum digne placasset, nisi Deus? Ergo sibi satisfactorius irrattissimus Pater caelestis “purpuratum Filium”, volentem, et se ad id sponte offerentem, “sacrificio exposuit”: “Indutus est” etc.

3. Obruit me tantae dignationis immensitas: non possum capere, non possum, tantam dilectionem. Itaque provehor [G_v] ulterius: a Purpura ad Coronam caelestis Augusti progredior. Ad Coronam, inquam, vilem simul et crudelem: vilis, nam spinea; crudelis, nam acuta, dirissimeque capiti impacta atque impressa.

Invitabat aliquando sponsarum aliqua Solymarum puellas ad coronationem Salomonis inspiciendam: “Egredimini”, dicebat, “et videte, filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum Mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis eius” (Cant 3[11]). Plus quam Salomon hic, cuius ad coronationem nos Isidorus⁶ convocans: “^aEgredimini”, inquit, “ad videndum [.....] Coronam spineam, quam Christi capiti^a imposuit Synagoga” (de Pass. cap. 30)⁷.

Uterque Ierosolymis coronatur, et Salomon et Christus; at ille auro gemmisque candentibus, hic spinarum aculeis horrido redimitur diademate; ille ad gloriam, hic ad ignominiam; ille a matre carissima, hic a pessima noverca Synagoga; ille die desponsationis, hic die occisionis; ille cordis in laetitia, [G_{2r}] hic in pectoris luctu.

Ah! ad tam triste spectaculum, ad tam funestum lugubremque apparatus contemplandum, quis prodeat? Prodeundum tamen est. Qua de

“Mt 25”, quia hac de re non legitur in Mt 25, sed in Mt 27.

a-a “Exite et videte [...] coronam spineam, quam capiti eius” (INPR)

⁶ Cf. MADOZ Giuseppe, “Isidoro di Siviglia, santo?, Doctor Ecclesiae (+ 636) : ECat VII, 254-258.

⁷ ISIDORUS, “De Nativitate Domini, Passione, et Resurrectione..., Libri Duo”, Haganoae 1529, c. 31(!): “Quia spinis coronatus est”.

causa? Ut agnoscamus caelestem Salomonem peccatis nostris coronatum. Id vero qui fieri potuit? Scilicet nam perspectum nobis est, originem spinarum et peccati unam eandemque fuisse: cur enim Deus terrae maledixit, ut spinas et tribulos germinaret, nisi quod offensus ab Adamo Parente nostro communi, et a nobis in Adamo universis, gravissime fuisset scelere illo superbiae et rebellionis! Superbiae, quia Dii esse volebamus, boni malique scientes; rebellionis, quia praeceptum sanctissimi atque optimi Conditoris nostri de non comedendo vetitae arboris mortifero fructu impudentissime violavimus.

Plectitur itaque primum origine peccatum spinis terrae insitis; at etiam Christo pro eodem spinea Corona plectitur; minime tam deformiter et crudeliter coronando, nisi [G_{2V}] peccatum nostrum spinas in terra seminasset, huiusque teterrimae coronationis author fuisset. Inde merito et pientissime conquestus Basilius Magnus⁸ “*a*Florida quidem” ait “est rosa, sed mihi tristitiam infligit. Nam quotiescumque florem hunc video, peccati mei admoneor, propter quod terra, ut spinas et tribulos proferret, condemnata est^a”(hom. de Parad.)⁹

Verumtamen non illud solum primaevum, alia quoque peccata mortalium spinae sunt. Rectissime aurei oris Praesul¹⁰ hoc tangens: “Quicumque”, ait, “peccaverit, quasi erinaceus^b est plenus spinis” (in Psal. 90)¹¹. Quamobrem cum simus non sine peccatis universi, sumus eiusmodi erinacei, spinasque nos sacro augustoque Christi vertici cruentando atque terebrando impie commodavimus. Ille tamen pro sua in nos

a-a “Florida rosa est, at, maesto me animo facit. Quotiescumque enim florem conspicio, in mei memoriam peccati redeo, cuius reatu indictum terrae, ut mihi spinas ac tribulos germinet” (PG) b “ericus” (ICPH)

⁸ S. Basilius, dictus “Magnus”, Doctor Ecclesiae († 379).

⁹ BASILIUS MAGNUS, “Oratio: De Paradiso”: PG 30, 66.

¹⁰ S. Ioannes Chrysostomus, archiepiscopus Constantinopolitanus, Doctor Ecclesiae († 407), “aurei oris” vocatus, quia fuit “il più grande oratore cristiano, uno dei più grandi oratori di tutti i tempi”; cf. CATAUDELLA Quintino, “Giovanni Crisostomo, santo”: ECat VI, 534-535ss.

¹¹ IOANNES CHRYSOSTOMUS, “Expositio Psalmi Nonagesimi”, in: “D. Ioannis Chrysostomi vere Aureae in Psalmos Homiliae”, Venetiis 1549, f. 75v.

dilectione maxima hoc inauditum tormenti genus tam fortiter et hilariter sustinebat, ut plura gravioraque expeteret, adeo, ut hae spinae novum in eo patiendi ardorem, quemadmodum doctissimus [G_{3r}] apprehendit Tertullianus¹², viderentur excitasse: “Dominica Christi tempora”, ait hic vetustissimus Scriptor, “lancinaverunt mortiferis quidem vulneribus spinae; sed novarum poenarum ardore sustentabatur amans”¹³.

O amorem inauditum! quo mors arcetur, vita producitur, ut pro perditis maiora perferantur! Lethiferae spinarum cuspides usque cerebri claustra penetrantes avertunt a Rege mortem in cruce morituro; sanguisque inde profluens alimentum fit ingenti animo, ne deficiat ante tempus occisionis in apparatu coronationis, qui debet a ligno regnare Deus. Nimirum non e spinis tantum, sed ex fatali pariter arbore colligendi erant Orbis Reparatori “flores fructusque^a honoris et honestatis” (Eccle 24, 23).

Quod dum versabat animo, quasi recens pugil aciem ingressus nil vulnera mortifera licet moratus ad eam, plagis factus vivacior, et animosior, luctam ardentem anhelabat, quae ipsi tanto splendidius decus, tanto amplio rem gloriam erat allatura, [G_{3v}] quanto difficilior erat consummatu, quod perficiendum restabat. Sic, sic “novarum poenarum ardore sustentabatur amans”.

4. Veniamus tandem ad sceptrum scenici Regis apud Hebraeos, apud nos et Caelites Altissimi contemplandum. “Posuerunt”, inquit Matthaeus, “arundinem in dextera eius” (Mt [27, 29]). Hacne virga regia, per quam^b reges regnant, principes imperant, potentes decernunt iustitiam, decoratur? Ita sane. Quamobrem? ut humilitate sua nostram superbiam deleat. Typus humilitatis est arundo: nam ut haec cuivis ven-

a “mei fructus” (BSV) b “quem” (CP), ob errorem - uti videtur - typographicum

¹² Tertullianus (Quintus Septimus Tertullianus Florens), eminens scriptor ecclesiasticus, (ca 160-240); cf. PELLEGRINO Michele, “Tertulliano” : ECat XI, 2025-2033, ubi legitur quod “è una delle figure di maggior rilievo dell’antichità cristiana, il più vigoroso fra gli apologeti e i polemisti dei primi secoli [...], scrittore fra i più potenti di tutta la latinità”.

¹³ TERTULLIANUS, “De Corona” XIV, 4 : CChrL 2, 1063, ubi tamen inveni textum qui continet solummodo aliqua verba textus ab auctore allegati: “Quae tunc Domini tempora et foedaverunt et lancinaverunt”.

tulo colla substernit, minimo non resistit, sic animus demissus omnes adorat, omnibus inclinatur.

Humillimus erat, de quo Veritas: “quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?”¹⁴ (Mt 11[, 7]). Quapropter verissime de ipso Christo Anselmus: “Ut deleretur”, ait, “chirographum, quod adversum nos erat per peccatum” (opinor superbiam), “arundinem assumpsit” (Tract. de Pas.)¹⁵.

Reges Assyrios nemini licebat [G_{4r}] accedere nisi vocato. Hinc, dum Hesterem urgebat Mardocheus, ut Assuero pro sui populi salute supplicatum iret, respondit: “quod sive vir, sive mulier non vocatus, interius atrium Regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur: nisi forte Rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiae, atque ita possit vivere” (Est 4[, 11]).

Cum Servatorem nostrum voluisset populus ad satietatem ab eo pastus Regem creasse^a, fugit, et quidem in solitudinem solus. Nunc vero spinis redimiri, arundineum sceptrum gestare plane gaudet, ac “novarum poenarum ardore sustentatur amans”: ut quisquis eum peccator precator accedat, arundineam virgam hanc ad eum in signum clementiae protendat, et absolutum penitus in gratiam recipiat.

Vivat aeternum Rex noster clementissimus! Vivat Iesus! qui despici

^a *potius “creare”, quia est hic casus actus qui fit non prius, sed eodem tempore ac actus verbi (“voluisset”) a quo regitur.*

¹⁴ *Non videtur quod his verbis Christus (“Veritas”) voluit Ioannis Baptistae humilitatem laudare. Potius eius soliditatem fidei laudat, removendo suspicionem “Ioannem mutasse sententiam suam de Iesu, ut cum prius eum putarit esse Messiam, iam de eo dubitet, ideoque discipulos id interrogatum ad Iesum miserit”, quasi diceret: “Ne putetis, o Iudaei, Ioannem aliter de me nunc sentire, quam ante senserit; Ioannes enim non est arundo quae vento huc et illuc agitur, ut leviter aliquid asserat, ac postea idipsum ob dicta hominum reciprocet et revocet; sed est velut quercus, quae immota in veritate et constantia contra detrahentium flabra consistit” (Comm. in Mt XI, 7 : CLCE I, 387).*

¹⁵ *Uti iam supra dictum est, “Tractatum de Passione” inter opera s. Anselmi invenire non potui, sed textum hic allegatum nec in aliis operibus s. Anselmi (nec in meditatione ubi sermo est “de Passione Iesu Christi”) invenire potui.*

voluit, ut nos redderet honorabiles; purpura detrita amiciri, ut nos vestimentis gloriae ornaret; spineo diademate redimiri, ut [G_{4v}] immortalis laurea donaret; arundineo sceptro decorari, ut per eius humilitatem clementer elevati paratum nobis regnum a constitutione mundi consideremus. Vertit nobis contemptum suum in honorem, poenam in veniam, metum in securitatem, tormenta sibi a nobis illata in nostram beatitudinem.

*Salve igitur; quamvis vilis te purpura vestit,
Quamvis spina caput replet, arundo manum.
Salve, Rex regum. Iudaeus Caesaris esto.
Praeter te, Iesu, Rex mihi nullus erit.*

DISCURSUS V
ONUS LEVE

“Et baiulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum”
(Io 19[, 17]).

Abrahami sacrorum Patriarcharum principis, et obedientiam, et fidem cupiens Deus experiri, unicum eius filiolum in decrepita senecta non citra naturae miraculum Parentibus concessum, illum ipsum, per quem gens Hebraea numerum stellarum arenaeque [**H_r**] maris aequatura fuit, illum, inquam, in cuius omnes gentes benedici semine debuerunt, Isaacum sibi iusserat immolari: “Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, [.....]” (dicebat seni) “atque [.....] offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi” (Gen 22[, 2]). Paruit Sanctissimus Parens voci Divinae: nullaque mora iter arripuit destinatum: “tulit quoque ligna holocausti, et imposuit super Isaac filium suum” [ibid., 6]. Progredere felicissimis avibus, divinissime senecio. Iam enim pietate hac tua, fide, atque dilectione, sic tibi Deum fecisti devinctum, ut parsurus Isaaco tuo proprium Natum pro totius generis humani salute destinaverit immolandum.

Et en iam ille nutu Patris, voluntate sua, Pilati sententia damnatus ad supplicium, “baiulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum”. Comitemur eum, Christiani, sed non sine gemitu comitemur. Licet enim illi Crux imposita ONUS LEVE amore nostri videatur, leviolem tamen eam [**H_v**] fecerimus, si ex nostris peccatis fabricatam agnoscentes, labantem forte sub ea Iesum, vera eorum detestatione concepta, et firmo proposito ea non patrandi amplius facto, fulciemus.

1. Solymaeus Monarcha David, hoc olim in spiritu, quod nunc expendimus, contemplatus haec de Christo Crucem baiulante cecinit: “Exultavit ut Gigas ad currendam viam; a summo caelo egressio eius”

(Ps 18[, 6-7]). Et sane fateri debemus omnes, Giganteos Domino nostro humeros fuisse, quum fatale hoc lignum gravissimum prorsus ferebat. Crediderim binos viros sub illo fuisse ruituros: tam ponderosum extabat. “Utique ^a grave pondus Christo^b Crux ista fuit^c”, (pie discurrit Marchantius¹) “tum ob corporis eius debilitatem, quod plane exhaustum erat tot plagis, tamque copiose^d sanguine profuso, tum ob Crucis longitudinem, et grossitiem[!]^e, ac asperitatem quia ex tempore fabricata erat impolita, et rudis, ex omnibus vulneribus unum rursus efficiens [H_{2r}] acerbissimum toto corpore vulnus. Velut novum torcular erat, sub quo caro eius uvae instar rursus premitur, ita, ut plateae Ierusalem aspergantur eius cruentis vestigiis” (opus. 6)².

Cum itaque tam gravis fuerit crux isthaec Domino iniecta, quo pacto, aut quare, sub ea dicitur exultasse? In promptu causa est. Alienum onus baiulabat alacriter susceptum; ideo non sentiebat. Levis enim labor omnis videtur, qui sponte assumitur; levior si amici causa assumitur; levissimus, si praemii. Omnia haec Servatori nostro Crucis pondus reddebant levissimum. In eo namque “vere languores nostros” (teste Isaia) “ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit” (Is 53, 4); sponte autem id fecit, iuxta illud psaltis regii assertum: “Voluntarie sacrificabo tibi” (Ps 53, 8). Ex amore nostri fecit: “quia^f dilexit nos” (ait vates Apocalypticus) “lavit nos a peccatis nostris” (Apoc 1, 5). Tandem praemii causa fecit: in Cruce quippe hac gloria eius omnis et imperium sita fuere, uti paulo fusius deduco. [H_{2v}]

2. Isaia memoratus vates multa de Christo prophetice locutus, etiam hoc iter illius ad supplicium Crucem ferentis his verbis adumbravit:

^a *add. “ei” (MOPast)* ^b *om. “Christo” (ibid.)* ^c *om. “fuit” (ibid.)*

^d *“copioso” (ibid.)* ^e *ita secundum latinitatem Medii Aevi* ^f *“qui” (BSV)*

¹ Cf. ŠKARVADA Jaroslav, “Marchant (Marchantius), Jacques” († 1648) : *ECat VIII, 20, ubi legitur quod hic theologus et sacerdos dioecesis Leodiensis “è fra i più celebri scrittori di teologia pastorale del suo tempo”*.

² MARCHANTIUS Iacobus, *Opusculum VI: “Lilium inter Spinis sive De Passione Domini nostri Iesu Christi”, Lectio X: “De Christo crucem baiulante”, in: “Iacobi Marchantii Opuscula Pastoralia sive Commistum Migma Pascendis animabus...”, Coloniae Agrippinae 1642, p. 366.*

“Factus”, inquit, “est principatus super humerum eius” [Is 9, 6]. Principatum vocat iniectum Christo patibulum. Cur ita? Nescio, an verum causam huius rei indagavi; verum hanc esse opinor, quam explicatius propono.

Quatuor modis video Principatus acquiri: hereditate, electione, armis, pretio. Regni caelesti heredem esse Christum, imo totius universi, testantur illa quae dixit Paulus: “Constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula” (Hebr 1[, 2]). Electionis deinde iure gaudere Christum his verbis fatetur (sub figura Moysis) Siracides: “Elegit eum ex omni carne” (Eccli 45, 4). Armis quoque ius utrumque sibi asservisse insinuat Salomon: “Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos” (Sap 5, 21), utique pro afferendo totius universi Principatu, quem fastuosus Lucifer ambitiose volebat [H_{3r}] usurpare. Tandem his tribus modis etiam pretium (ut Princeps orbis terrae) Dominus noster adiecit: nec exiguum istud, sed infinitum, inaestimabile, inexhaustum, pretium, vitae, sanguinis, passionis, mortis. Quod sane tum enumeravit plenissime, cum in cruce expiravit. Hoc praedixit ipse antea, cum diceret: “Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum” (Io 12[, 31]).

Cum itaque Crucem in ea sublevandus Filius Dei baiularet, Principatum suis humeris ille tum baiulabat, ut optime propheta advertit. Quod si nemo non laetus arripit imperium, neque Filium Dei maerentem decebat esse sub Crucis pondere, in qua ceu regali solio levatus ad se fuit omnia tracturus. “Exultavit igitur ut Gigas ad currendam viam ferendo crucem, ferendo Principatum. Tardius incederet, nisi patibulum quasi penna pennarum, et ala charitatis aptata sanctissimis humeris molem [H_{3v}] excruciatu corporis veheret potius, quam veheretur” (ita Laur. Iustin. de triumph. agon. 16)³.

³ Vide supra, Disc. III, no. 1. In indicato opere s. Laurentii Iustiniani (LITA), in c. 16 est sermo de “Via Crucis”, ubi inter alia legitur: “Crux parata super illius imponitur humeros [...]. Dei Filius egredietur de ianua crucem super proprios ferens humeros” (f. 208r), sed textum hic allegatum ibi non inveni.

3. Sed quamvis videamus exultantem sub gravissimo Crucis onere Dei Filium ad locum supplicii procedentem; nefas tamen est absque lachrymis tam diro spectaculo nos interesse: cum praesertim simus ipsissimi, qui tam dirum durumque patibulum construxerimus, humerisque illius sacratissimis immitissime iniecerimus. “Supra dorsum meum” (sic per os Davidis quemlibet nostrum Agnus mitissimus incusat) “fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam” (Ps 128[, 3]). Quidquid ab expulsione primi hominis e paradiso ad hodiernum diem, ad hoc ipsum quo loquor momentum scelerum ubique terrarum patratum est, aut deinceps patrandum, hoc totum sanctissimis huius beatissimi atque fortissimi Atlantis⁴ incubat brachiis, Cruci huic quam baiulat inhaeret, huic triumphali currui quem ducit impositum [H_{4r}] est. Omnes omnium nostrum huic manticae scelerum congestae sunt. Nos quoque huius immanissimi patibuli fabricatores, nos huius mansuetissimi Principis sumus carnifices. “Omnes nos, quasi oves erravimus”, teste Isaia vate, “unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum” (Is 53[, 6]).

Et tam grande piaculum vera eius detestatione non expiabimus? Quodsi tam obstinati sumus, ut minime crudelitate hac nostra malitiaque commoveamur; at movere nos debet omnino illius tam miseranda species, quae plane hominis nihil referre videatur. “Non est ^aei aspectus^a, neque decor, et quasi absconditus vultus eius” (Is 53, 2-3). Olim “caput eius” visum fuit sponsae “aurum optimum”, nunc spinae omnia, spinae. Olim “comae eius sicut elatae palmarum, nigrae quasi corvus” (Cant 5[, 11]), nunc depressae, evulsae, conspurcatae. Olim “oculi eius

a-a “species ei” (BSV)

⁴ Auctor hic Iesum Crucem portantem Atlanti comparat quia Atlas “personifica in particular modo la formidabile forza di portare”, et “in Omero Atlante porta direttamente, cioè sul suo corpo, le colonne che reggono il cielo poggiando sulla terra”; cf. TACCONE Angelo, “Atlante (Atlas)” : EI V, 208.

sicut columbae super rivulos aquarum, quae lacte sunt lotae” [ibid., 12], nunc tabe natantes. Olim “genae [H_{4v}] illius sicut areolae aromatum” [ibid., 13], nunc pallidae, sputis faedatae, tumentes. Olim “labia eius ^a distillantia myrrham primam” [ibid.], nunc livida, carbonibusque nigriora. Olim “manus eius tornatiles aureae, plenae hyacinthis” [ibid., 14], nunc ferreis vinculis colligatae. Olim “venter eius eburneus distinctus sapphiris” [ibid.], nunc totus concisus distinctus plagis. Olim “crura illius columnae marmoreae” [ibid., 15], nunc labant, vacillant, terrae alliduntur. Olim “species eius ut Libani, electus ut Cedri” [ibid.], nunc ceu vermis, opprobrium, abiectio. Olim “totus desiderabilis” [ibid., 16], nunc totus miserabilis. “Non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus: et desideravimus eum, despectum, et novissimum virorum, virum dolorum” (Is 53[2-3]). Et quem obsecro, quamvis cautibus asperiolem haec sine specie species Regis Angelorum et hominum non compungat? cui fluentia lachrymarum ex corde, ex oculis non exprimat?

4. Convertamus deinde figamusque nostrum obtutum in eius immaculatissimam [I_r] Genitricem. Haec teste Bernardo suo “cernens eum oneratum ligno tam grandi, quod primo non viderat, semianimis facta est prae angustia, nec verbum dicere potuit” (med. c. 77)⁵. Et nos risu scilicet tam triste spectaculum excipiemus? Ah pereant oculi, si nolunt tragicam baiulationem Crucis udi spectare!

Fluminibus Babylois affudisse et miscuisse suas lachrymas Hebraeos pagina sacra luculentissime testatur, cum in ripis illorum condidentes recordarentur Sionis charissimae. De his lachrymis disertissime apud psaltem infelices exules loquuntur: “Super flumina Babylonis illic

^a add. “lilia” (ibid.)

⁵ Textum s. Bernardi hic allegatum invenire non potui, imprimis quia eius opus “Meditationes” in AMS solummodo 17 capita habet (70 in editione ex anno 1535), ac proinde citatio “med. c. 77” est erronea vel ad ignotam nobis editionem pertinet. Sed etiam in aliis operibus s. Bernardi hunc textum non inveni secundum indicationes in Indice generali Rerum et Verborum datas.

sedimus, et flevimus, cum recordaremur Sion” (Ps 136[, 1]). Recordatio Patriae fletum captivis elicit; nobis non eliciet aspectus caelestis Patriae Patris, Servatoris, Redemptorisque nostri? qui Crucem suam ferens ex nostris peccatis erectam pro nobis in ea figendus, non habet speciem hominis, tam dire laniatus, tam deformiter exhaustus, tam enormiter [I_V] deformatus?

Sed vetat, inquis, ipse statum hunc suum defleri, cum praeteriens mulieres aliquas pie luctu squallentes his ita colloquitur: “Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros” (Lc 23[, 28]). Non repugno veritati, verum causam praesentium lachrymarum cum Divo Leone non approbo: “Solet ^a ^binfirmior sexus^b”, inquit hic sanctissimus et disertissimus Pontifex, “^c pro his qui ^dad mortem damnantur in lachrymas commoveri et^d pro naturae communis consideratione misereri. ^eHunc planctum non vult Dominus sibi impendi: quia non decet^e luctus triumphum, nec lamenta victoriam. ^fIdeo dicit^f: Nolite flere super me. Ego crucem volens patior, et mortem in me, quam sum perempturus admitto. Nolite flere pro mundi redemptione morientem, quem ^gvidebitis in maiestate Patris^g iudicantem”⁶. Plorabant nimirum illae mulierculae, non Christum suis peccatis oneratum, sed hominem unum beneficum, et innocentem supplicio afficiendum. [I_{2r}]

Verum nobis ea de causa non est a lachrymis temperandum, quod super dorsum incarnati Filii Dei ingentem scelerum acervum deposuerimus, patibulum ei nostris ex sceleribus fabricaverimus, et super eum prolongaverimus iniquitates nostras. Quas licet ipse tulerit amore nostri fortissime et plenissime expiaverit, nos tamen amore eius exiguas

a *add.* “enim” (CChrL) b-b “sexus infirmior” (ibid.) c *add.* “etiam”(ib.)

d-d “morte sunt digni, in lacrimas commoveri, et damnatorum exitus”(ib.)

e-e “Sed istum sibi planctum Dominus Iesus dedignatur impendi, quia non decebat”

f-f “Denique conversus ad eas, «Filiae», inquit, «Hierusalem»”,(ib.)

g-g “in maiestate Patris videbitis” (ibid.)

⁶ LEO MAGNUS, “Tractatus de Passione Domini” (4 aprilis 445) : CChrL 138A, 371-372 (Tract. LXI, n. 3).

cruces, parvas afflictionculas, ferre detrectamus; et vel eas refugimus, vel cum querelis multis et quandoque cum turpi impatientia admittimus. Quasi vero ludentes, et potantes, et luxuriantes intrabimus in gloriam alienam, cum ipse Rex gloriae patiendo suam possederit? An illius verborum ac salutaris monitionis penitus obliti sumus, quam nobis apud suorum scriptorem gestorum tam claram reliquit, ut nulla luce indigeat? “Si quis”, dicebat aliquando, “vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me” (Mt 16 [, 24]).

Crux est, voluntaria corporis [I_{2v}] afflictio; crux est, paenitentia serio continuata; crux est, infamatio, contemptus, iniuria et quaevis tribulatio; crux est, infirmitas, inopia, aerumnae, damna rerum temporalium, iactura fortunarum; crux est, necessariorum deficientia, superfluum amputatio, subtractio prosperitatis, adversitatis immissio, et quidquid vel animo vel corpori incommodat. Talem crucem ut quilibet nostrum impigro et laeto animo Christi amore sustineat, ab ipso Christo monetur et verbis et exemplis, praesertim acerbissima salutiferi ligni baiulatione: ut tandem sequendo viae Crucis praecessorem, immortalis laetitiae atque gloriae cum illo hereditatem consequatur.

*Christe! eo, quo me cumque vocas, per tela per ignes,
 Et per aquas, et per tesqua, vepreta, petras.
 Te duce, mollis erit quaevis via dura, sequenti
 Alas praesertim si comes addat amor.*

DISCURSUS VI
CRUX GLORIOSA

“Et crucifixerunt eum” (Mc 15[, 25]).

[I_{3r}] Nihil ignominiosius olim supplicio crucis extitisse, clarissime nos antecedentium saeculorum historiae docuerunt. Extat huius probrosae necis exemplum Regiis in fastis infamissimum prorsus et exosissimum. Fames ingens continuis tribus annis Provincias Davidi Regi subiectas affligebat. Consulto oraculo Domini intellexit Rex propter caedem Gabaonitarum a Saule stulto zelo patratam ea plaga Israelitas plecti. Quamobrem furorem Dei placaturus Gabaonitas vocavit, et quid sibi pro iniquo excidio vellent fieri, percontatus est. “Qui dixerunt Regi: Virum, qui attrivit nos, et oppressit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israel. Dentur nobis septem viri de filiis eius, ut crucifigamus eos”: et “crucifixerunt” (2 Reg 21[, 5-6. 9]). Non [I_{3v}] poterat gravius innocentis populi caedes vindicari, quam per funestissima regiae sobolis in cruces elatae supplicia. Sed fuerit, saneque fuit, haec filiorum nepotumque Saulis infamia iustissima, quod non ferro, ut heroes decuit, sed cruce perierint.

Filius vero Dei, Dominus noster ac Servator, quid patravit sceleris, quod instantissime sit ad supplicium Crucis a populo Iudaico postulatus? Nihil penitus cruce dignum admisit, nihil. At voluit morte sua crucis ignominiam abolere, eamque reddere gloriosissimam, tum quod Crucis in ligno damna ligni resarciverit tum quod eam sanguine proprio consecraverit summopereque nobilitarit.

1. Immiserat Deus in Hebraeum populum serpentes igneos, per hos murmur illorum puniturus. Cumque ferae bestiae plagis plurimos morteque confecissent, poenitudine sceleris ducti Moysi duci suo supplicarunt, ut pro eis Numen placando iratum, tam crudelem poenam

suis precibus averteret. “Oravit [I_{4r}] ergo Moyses pro populo, et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem aeneum, et pone eum pro signo; qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses serpentem aeneum et posuit eum pro signo; quem cum percussi aspicerent, sanabantur” (Num 21[, 7-9]).

Vidit aeterna Sapientia, Christus, Dux et legifer noster, humanum genus universum veneno tartarei serpentis infuso, quem primis parentibus nostris obruserat, fructui interire. Paraturus itaque et adhibiturus huic malo efficacissimum antidotum pro sua in mortales immensa charitate, de hoc ita nos edocuit: “Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis, qui credit in eum^a, non pereat, sed habeat vitam aeternam” (Io 3, 14[-15]).

O Crucem gloriosissimam, in qua sublevatus Dei Filius more serpentis, serpentis antiqui virus extinxit, vitam vero nobis attulit immortalem! O lignum felicissimum in quo salus mundi pependit! O lignum nobilissimum, quod in thronum Regi [I_{4v}] gloriae cessit! Infamis olim, iam nunc est *Crux solium, currusque Dei*. Tanta quippe Maiestas Crucis est, quanta Maiestas, quanta virtus, quanta fortitudo, quanta patientia, quantus amor in nos Crucifixi. Quis enim hanc Sacratissimam Crucem occupat? Augustus noster. Qua culpa occupat? salutis nostrae! Quo animo occupat? suavissimo ac fortissimo.

Brevissime haec omnia, sed gravissime B. Isidorus complexus: “Propter nos”, inquit, “Dei filius passus est; neque immutatus est; neque ira commotus in eos, a quibus tot iniuriis afficiebatur; nihil respondens, sed ad aenei serpentis similitudinem immobilis manens” (orat. 25)¹.

^a “*ipsum*” (BSV)

¹ *Textum hic allegatum invenire non potui. Videretur quod provenit ex operibus s. Isidori Episcopi Hispalensis, iam in Disc. IV, 3 allegati, sed inter eius “Opera Omnia” nullae “Orationes” extant. Sed neque in “Oratione 25” Isidori Clarii, Episcopi Fulginatis, hunc textum inveni.*

Quodsi demum non locus virum sed vir locum nobilitat, cogitate si potestis, quae nobilitas ignobilis quondam Ligni modo esse debeat, quod appensu nobilitavit suo is, cuius dignitatem, excellentiam, splendorem, nullus comprehendere sufficit intellectu. Propterea nunc, Hieronymo notante, “Regum purpuras et ardentis [K_r] diadematum gemmas, patibuli salutaris pictura condecorat; ^aattende gloriam Crucis ipsius^a”²: “quod”, addit Augustinus, “iam in fronte Regum Crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt”³.

2. Verum desideratis opinor pro vestra in crucifixum Regem gloriae pietate modum ipsius crucifixionis cognoscere. Matthaeus hunc insinuans compendiosissime: “Postquam”, inquit, “crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta eius, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: «Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem»” (Mt 27[, 35]; Ps 21[, 19]). Ex quibus verbis facillime coniciere possumus: detractam fuisse Christo Domino sacram togam, priusquam fatali trahi affigeretur. Neque immerito D. Anselmus ea de re secum loquentem divinissimam Parentem sic inducit: “Cum venisset^b ad locum Calvariae ignominiosissimum, [.....], nudaverunt Iesum unicum filium meum totaliter vestibus suis et ego exanimis facta [K_v] fui; tamen velamen capitis ^c accipiens circumligavi lumbis suis”⁴ (Anselmus, aut quisque ille author est in dial. Pas.)⁵.

a-a om. “attende... ipsius” (PL) b “venissent” (ADPD) c add. “mei” (ibid.)

² HIERONYMUS, “Epistola CVII ad Laetam” : PL 22, 870.

³ AUGUSTINUS, “Enarratio in Psalmum LIV?”, v. 10 : PL 36, 637.

⁴ ANSELMUS, “Dialogus de Passione Domini?”, c. X: “De crucifixione et crucis erectione”, in: “S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis Opera Omnia”, Lugduni 1630, Pars IV

⁵ “Dialogus Anselmi devotissimi de passione Iesu Christi querentis et gloriosissimae Virginis Mariae respondentis” est opus dubium s. Anselmi; cf. NICOLA DE LYRE, OFM, “Preceptorium”, Coloniae 1504.

Seraphicus quoque Praeceptor⁶ non dissentit, cum ait: “Spoliatur etiam^a ^bet nunc tertia vice coram tota multitudine^b”, nempe crucifigendus Iesus, “renovantur fracturae per^c pannos carni^d applicatos” (l. med. c. 7)⁷.

Id vero licet nutu divino factum sit ad implendum psaltis regii vaticinium, intentione tamen haud alia factum a carnificibus, quam ut eum maiore ignominia afficerent, si nudum in Cruce spectandum inimicis exposuissent. At quod impii et crudeles homines infamiae causa fecere, hoc mansuetudo summa ac pietas Christo in summam gloriam convertit. Consecravit enim lignum illud execrandum sui corporis contactu sanctissimo, adeo ut post Eucharisticum panem sacrosanctum nihil illa Cruce sanctius habeatur, nihil colatur reverentius, nihil gloriosius agnoscat. Nec immerito. Si enim locus ille circa rubum, in quo [K_{2r}] ardente Deus Moysi apparuerat, tam sacer a Deo voluit haberi, ut ad eum conanti accedere dictum sit: “Ne appropies [....] huc, solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est” (Ex 3[, 5]).

Quanto sanctior Crux illa, in qua Deus idem humana carne tectus clavis dirissimis affixus erat, habenda? illa inquam Crux, per rubum designata, in qua ardebat amore nostri Numen incarnatum, et non comburebatur; ardebat, odii, blasphemiae, invidiae, furoris hostium circumfusus incendio, et non comburebatur. Quamobrem, cum Crucis istius figuram illo, quo Passionem Dominicam recolimus, die sacri mystae venerantur, non nisi id lunatis poplitibus, calceamentisque depositis,

a “ergo” (BMed) b-b “et nudus est coram tota multitudine: et nunc tertia vice” (ibid.)
 c “propter” (ibid.) d “ad carnem” (ibid.)

⁶ Sic vocatur s. Bonaventura, Doctor Ecclesiae, notus uti “Doctor Seraphicus” († 1274), utpote membrum Ordinis Fratrum Minorum s. Francisci; cf. BONNEFOY Giovanni Francesco, “Bonaventura, santo. - Dottore della Chiesa”: ECat II, 1837-1845.

⁷ BONAVENTURA, Meditatio “Quomodo dominus crucifigitur presente matre”, in: “Meditationes devotissimae totius vitae domini nostri Iesu Christi”, [Papiae 1490], f. 42r.

iubentur pii cultus officium exhibere. Nefas autem est, ut minorem adorationem Ligno illi beatissimo deferamus, in quo pro nostra suam vitam vitae necisque Dominus pientissime deposuit, illudque corporis affixione sui, et conspersione [K_{2v}] sanguinis pretiosissimi sanctissimum effecit.

3. Referunt aliqui sacrae contemplationis magistri, ex Christi in Crucem acti vulneribus copiosissimum sanguinem profluxisse. Nec desunt, qui asserant, Crucem, cum prima vice levaretur, lapsam cum Christo in terram fuisse; cumque secundo erigeretur, tum primo ex eius quaternis plagis clavorum cuspidibus traiectis, quasi rivos quatuor pretiosissimi cruoris copiosissimis profluxisse meatibus, sacramque trabem largissime conspersisse.

Illud plane credibile videtur, quod Sanctus Pater Petrus Alcantarensis, plurimorum quidem sed maxime Divae Theresiae testimonio commendatissimus Christi amicus^d, in suo de eius Passione devotissimo libello affirmavit: “Carnifices ^a malitia stimulos^b, Cruce in altum sublata, illam ingenti ^c strepitu ac sonitu in scrobem cadere permisisse^d [.....], et ^e corpus Christi^e Domini^f e clavis firmiter dependens horrendum in modum concussisse^g h” (Consid. [K_{3r}] 4. de crucif.)⁹. Vidisses tunc

^a add. “ac tortores Christi” (PAMO) ^b “stimulati” (ibid.) ^c add. “cum” (ib.) ^d “permiserint” (ib.) ^{e-e} “Christi corpus” (ib.) ^f om. “Domini” (ib.) ^g “concussissent” (ib.) ^h add. “ac vulnera eius intolerabili cum cruciati, amplificaverint” (ibid.)

⁸ Cf. GHINATO Alberto, “Pietro d’Alcantara, santo” († 1562) : *ECat IX*, 1396. *Testimonium de quo loquitur hic auctor invenitur nella biographia autographa s. Teresiae a Iesu* († 1582); cf. “Vita di S. Teresa di Gesù scritta da lei stessa”, c. XXVII, nn. 16-20, in: TERESA DI GESÙ, “Opere”, Milano 1931, vol. I, 297-301. Ibi, e.g., de hoc Sancto legitur: “andava soggetto a rapimenti e a grandi trasporti di amore di Dio” (299); “Dopo morte [...] mi disse [...]: «oh felice penitenza che mi ha meritato tanta gloria!»” (300); “il Signore mi disse che avrebbe concesso qualsiasi grazia che gli venisse chiesta nel nome di quel suo servo fedele” (301).

⁹ PETRUS DE ALCANTARA, “De Meditatione et Oratione”, c. IV: “De Septem Meditationibus aliis Dominicae Passionis...”, in: “Petri Alcantarae Hispani Viri Illustratissimi, Ordinis Discalceatorum S. Patris Francisci, De Meditatione et Oratione libellus aureus”, Coloniae Agrippinae 1624, p. 108 (*Meditatio Diei Veneris*).

“decurrentes de manibus et pedibus rivos sanguinis”.

Unde quis dubitet, Crucem ipsam eodem non minus fuisse maddam, quam fuerit columna illa, ad quam flagellis immanissime caesus est? Sentit hoc Orthodoxa nostra Ecclesia, cum Crucem Dominicam extollens canit: “Quam sacer cruor perunxit, fusus Agni corpore”. Facessat hinc antiqua impietas potius quam religio, rosam Veneri consecrans, quia sanguine illius tincta fuit¹⁰. Mihi Crux illa sacratissima, mihi sanctissima est Arbor, “quam sacer cruor perunxit fusus Agni corpore”. Ipse profecto Deus hanc salvificam Arborem tanti videtur aestimare, ut eam ipse revereatur.

Sistamus huc ex sacris literis rem summopere admirandam, et nostro proposito singulariter inservientem. Praeceperat omnipotens ille Dominus, ut Hebraei Agni sanguine (quem in signum et memoriam Divini per Aegyptum transitus occisuri, et absumpturi erant) utrumque postem ac superliminaria [K_{3V}] domorum illinirent. Cur ita? “Videbo”, inquit ipse, “sanguinem et transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti” (Ex 12[, 13]).

O mysterium! Praeterit furens Dominus exercituum et quasi reveretur Domos Hebraeorum, Agni sanguine consignatas; nonne magis reveretur Crucem, et honorat, illitam sanguine sui Filii? illam, illam Crucem, “quam sacer cruor perunxit fusus Agni corpore?” Agni, non illius typici, sed veri, caelestis, immaculati: qui “coram tondente se obmutuit^a et non aperuit^b os suum” (Is 53[, 7]) coram occidente se. Et haec nobis Arbor non erit sacra, cuius beneficio a percutiente infideles Aegyptios aeternae damnationis edicto liberi evademus? Hoc lignum non erit apud nos gloriosissimum, quod Rex gloriae suo ascensu, quod Agnus Dei suo sanguine nobilitavit, atque consecravit?

^a “obmutescet” (BSV)

^b “aperiet” (ibid.)

¹⁰ Utique, rosa Veneri (vel potius Afroditae, quae erat dea graeca pulchritudinis et amoris, et identificabatur cum Venere in religione Romae) consecrabatur, sed non inveni confirmationem verborum: “quia sanguine illius tincta fuit?; cf. PARANDOWSKI, *op.cit.*, pp. 91. 311.

4. Didicimus id a sanctissimis gestorum Servatoris nostri scriptoribus, eum duos inter latrones medium Cruci [K_{4r}] appensum fuisse: “Crucifixerunt”, inquit dilectus Evangelista, “cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Iesum” (Io 19[, 18]). O infinitae Maiestatis Domine! tune ita despectus es, ut tibi latrones inter moriendum sit? O Sanctissime Sanctorum! tune inter maleficos ac scelestos dependes? tune “cum iniquis reputatus es?”¹¹ nasci inter iumenta, et sanctam exhalare animam inter homines iumentis deteriores decrevistis? Sicne tui honoris, gloriae, Maiestatis paene oblitus es?

Minime vero, inquit Athanasius: “Corpus in crucem”, verba huius S. Patris sunt, “exaltavit, non tamen per hoc obscurus; sed illustris permanens in seipso, eaque signa edens, quae eum etiam eo tempore non hominem, sed Dei Verbum declararunt” (Athanasius de incar.)¹². Pendeat et moriatur Crucis in patibulo Rex gloriae; medius latronum in manus Patris commendet suum, et tradat spiritum; dummodo nutu illius obscuretur sol, reboet aether, tellus concutiatur, petrae dissiliant, infernus contremiscat, [K_{4v}] manes e tumulis prodeant, velum templi rumpatur, universa natura obstupescat: turbae denique percutientes pectora in se pariter atque in urbem redeant; et crudelis Centurio educato ex latere crucifixi fidei lumine et flumine redemptionis, Filium Dei, quem confodit, fateatur atque suae in Crucifixum fidei et amoris testimonium propria morte sanguineque consignet¹³.

¹¹ Cf. Mc 15,28: “Et cum iniquis reputatus est”.

¹² *Textum s. Athanasii hic allegatum invenire non potui, nec in Oratione “de Incarnatione Verbi” (PG 25), nec in libro “De Incarnatione Domini Nostri Iesu Christi, contra Apollinarium” (PG 26), nec in libro “De Incarnatione Dei Verbi, et contra Arianos” (ibid.), nec in opere dubio “De Incarnatione”.*

¹³ Cf. CORNELIUS A LAPIDE, *Comment. in Mt XXVII, 54* : CLCE, t. II, 403, ubi legitur: “Multi cum Baronio censent centurionem hunc fuisse Longinum, cui Christi custodia a Pilato sit commissa, quique ex miraculis quae in morte Christi contigerunt, agnoverit Christum esse Filium Dei, eiusque resurrectionis testis et praeco extiterit, ideoque, relicta militia, secedens in Cappadociam, ibique Deo vacans, a Iudaeis occisus martyr occubuerit”.

Hanc autem quoniam in Cruce, quam nullibi alias exercuit, potestatem exercet Iesus crucifixus, quis eam Cruci non attribuat? quis per Crucem neget esse acquisitam? Non enim ante suum obitum, sed post anastasim suam coram discipulis suis gloriatus est, omnipotentissimum se esse caeli terraeque Monarcham, cum diceret: “Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra” (Mt 28[18]). “^aAc si manifeste diceret” (Anastasio Sinaitae nobilissimum acumen est) “auctorem gloriae istius Crucem esse et per Crucem irrogatam mortem^a: ^bquia nunquam per omnem vitam magis declaravit potentiam suam^b”¹⁴. [L_r]

5. Quod cum ita sit, adoremus et summa veneratione prosequamur lignum hoc, quod sui corporis affixu sacratissimi, sui sanguinis effusione, dirae perpeffione mortis, summae ostensione potentiae, Filius Dei noster pientissimus atque clementissimus Salvator, gloriosissimum, nobilissimum, atque sanctissimum effecit; imo per quod ipse gloriosior effectus est, atque potentior. Neque devitemus vicissim cruces nobis praeparatas, cum per ipsas, et gloriam, et nobilitatem, et sanctimoniam veram, et omnipotentiam quandam simus consecuturi.

Crucem igitur (loquor cum Damiano purpurato¹⁵): “quisquis desiderat ab omni vinculo maledictionis absolvi, et plenam novae grati-

a-a “*ut iam manifeste demonstratum sit, huius gloriae causam esse crucem, et mortem per crucem*” (PG) b-b om. “*quia... potentiam suam*” (ibid.)

¹⁴ ANASTASIUS “SINAITA”, *Oratio IV: “De Passione et Impassibilitate Christi”*, III : PG 89, 1350: “*Sancti Anastasii, Patriarchae Antiocheni, De Nostris Rectis Dogmatibus Veritatis, Orationes Quinque*”. Cf. RAES Alfonso, “*Anastasio il Vecchio, patriarca di Antiochia, santo*” : BS I, 1064-1065, ubi legitur: “*Alcumi autori [...] evidentemente lo confondono con l’omonimo santo Sinaita, vissuto nel secolo successivo*”.

Revera itaque auctor texti hic allegati non est s. Anastasius Sinaita, sed s. Anastasius senior († 598/599), auctor quinque dissertationum (v. PG 89, 1309-1362), inter quas illa “*De passione et impassibilitate Christi*”, ex qua textus hic allegatus provenit. Is non includit verba: “*quia nunquam per omnem vitam magis declaravit potentiam suam*” (uti propria auctoris CP praesumenda).

¹⁵ Cf. ROCZKOWSKI Julian, “*Piotr Damian “w.”* († 1072) : PEK XXXI-XXXII, 202, ubi legitur quod Petrus Damianus a Papa Stephano IX Cardinalis creatus est.

ae benedictionem consequi, crucem, inquam, diligat, ex qua^a omnis pulchritudo benedictionis emanat. Per Crucem se Dei mandatis adstringat. Per Crucem effrenis carnis incentiva cohibeat” (serm. de imit. Cruc.)¹⁶.

*Mi Iesu crucifixe, crucem non sperno, sed ulnis
Ambabus tentae basia mille facio [L_{1V}]*

*Mi Iesu crucifixe, volo tecum in cruce figi.
Fac, quod iussisti me facere, ut faciam.*

^a *add. “videlicet” (PDIC)*

¹⁶ *PETRUS DAMIANUS, Sermo “De Inventione S. Crucis”, in: “B. Petri Damiani Monachi Ordinis S. Benedicti, S.R.E. Cardinalis Episcopi Ostiensis, et Doctoris sanctissimi..., Opera”, Romae 1606, t. II, 55.*

DISCURSUS VII
MORS MORTIS

“Iesus autem emissa voce magna expiravit” (Mc 15[, 37]).

Tandem *Verbum caro factum* obmutuit sponteque cum vita os clausit: *Rex atque factor temporum* diem suum inter mortales finivit, spiritus omnia vivificans Patri se reddidit, Peregrinus caelestis in terra durum iter absolvit, Ignis consumens omnia extinctus est, Fluvius egressus de loco voluptatis ad irrigandum terrestrem paradisum exsiccatus, Gigas a summo caelo delapsus ad currendum viam defecit, Sol iustitiae passus eclypsim, Magister verba vitae aeternae habens morte sublatus est, Bonus Pastor pro ovibus animam posuit.

Iesus “emissa voce magna expiravit”. O fatum! [L_{2r}]

*Lugete dura marmora,
Scissaque saxa, petrae:
Sol nube maeroris diem
Obvestiat Serenum:
Concussa tellus acriter
Potenter ingemiscat:
Natura tota ne gravem
Coerceat dolorem.*

Tu solus triumphum adorna, mortalis. Quando quidem mors, ille nostri generis carnifex, ille totius orbis tyrannus, morte Vitae devictus succubuit. O gaudium! Iuvat hanc pugnam felicissimam victoriamque gloriosissimam disertius proponere.

Aera sonate, Viri; Vitae Dux, arbore nixus,
Congreditur morti: reliqui spectate duellum.

1. Rex Atheniensium Codrus, quod Valerius Maximus nitidissimus scriptor¹ memorat (l. 4, c. 6), cum ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata, ferro igneque vastaretur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos sciscitatus est: quonam modo illud tam grave bellum discuti posset? Responsum: ita [L_{2v}] finem ei fore, si Rex ipse hostili manu occubisset. Quid hic putatis Codrum egisse? quod amor Patriae persuasit. Mori decrevit. At hostes cati atque cauti decrevere: ne Codro manus ullus iniicere auderet, etiam se obrudenti. Vivere illum optabant, se vincere. Reperit tamen prudentia viam, qua fortitudinis gloria, qua salus Patriae pararetur. Deposito cultu regio Codrus famularem induit; petulantium hostium globo se obiecit; ut mortem per vindictam reperiret, unum falce percussit. Occiditur, ut homicida, ut vilis, non ut Rex Atheniensium; at caede sua hostem vincit².

Dixi haec, ut hominis clarissimo facinore divinum redderem facilius intellectu. Comparationem inter Codrum et Christum nullam penitus admitto: sed ingeniis, quae non omnia Sacramenta caelestia capiunt, inservio. Rex igitur erat Christus, sed, ut toties dictum, immortalis Rex; Rex erat Christus, sed non unius populi, omnium hominum et [L_{3r}]

¹ *Uti iam anotatum est (v. supra, Disc. II, no. 4), Valerius Maximus opus in quo collectanea facta et dicta memorabilia continentur scripsit; quod opus anno 31 d.C. editum est. Laudatur ab auctore CP (magistro rhetoricae!) uti "nitidissimus scriptor" quia in hoc opere quod "raccoglie... esempi per scuola di retorica, lo stile... è tipicamente di scuola: la maniera è nella costante ricerca dell'effetto, nelle apostrofi, nelle contrapposizioni, perchè appunto ogni episodio sia stilizzato in esempio" (MOMIGLIANO A., op.cit.).*

² *Cf. VALERIUS MAXIMUS, "Factorum et Dictorum Memorabilium Libri Novem", ed. C. Kempf, Lipsiae 1888, pp. 207-208, ubi in libro IV, c. VII, "7, Ext. 1 invenitur hoc "factum memorabile" hic descriptum. Notandum est quod P. Papczyński ex hoc libro textum: "Rex Atheniensium....occubisset" quasi ad verbum allegavit. Tunc in opere Valerii Maximi sequitur: "Quod quidem non solum totis Athenis, sed in castris etiam contrariis precrebuit, eoque factum est ut ediceretur ne quis Codri corpus vulneraret. Id postquam cognovit, depositis insignibus imperii famularem cultum induit ac pabulantium hostium globo se obiecit unumque ex his falce percussus in caedem suam compulit. Cuius interitu ne Athenae occiderent[ur] effectum est".*

Angelorum Rex: et quod infinitae Maiestatis ac omnipotentiae fuit, Rex erat et simul Deus erat. Nos vero populus eius et oves pascuae eius. At quam infelices quas lupi rapacissimi, mors atque infernus, invadabant, laniabant, absumebant. Hostes hi non aliter superari potuere, quam per eum; qui cum Rex noster esset, sponte pro nobis occidi vellet.

Ipse Caiphias Hebraeus Pontifex, quamvis huic nostro Domino infensissimus, hoc tamen oraculum in concilio suorum collegarum de illo protulit: “Expedit ^a, ut unus moriatur homo pro populo, ne^b tota gens pereat. Hoc autem”, subiicit Ioannes, “a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit: quod Iesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum” (Io 11[, 50-52]). Moriendum itaque fuit Christo Regi Nostro, si mortem vincere ac delere, cui nos omnes iam in praedam cesseramus, constituerat. Sed Deus mori non potuit: [L_{3V}] quis in Deum assurexisset? quis ei ferrum intentasset? quis caedem fuisset molitus? “Itaque Omnipotens Dominus” (sunt D. Leonis verba) “cum saevissimo hoste non in sua Maiestate, sed in nostra congregitur humilitate, obiciens ei eandem formam eandemque naturam, mortalitatis^c quidem nostrae participem, sed peccati totius expertem”³. Ideo enim humanam carnem, famularem cultum induit, ut mori posset: at illam carnem voluit nullo peccato inquinatam fuisse, ne mors per peccatum in mundum ingressa videretur in eum iuris aliquantulum praetendere, ac proinde cum suo mancipio, non cum Domino putaretur fuisse congressa.

Armatus igitur infirmitate nostra, dicam verius, indumento servilitectus, mortem Codrus noster, Christus noster aggressus est; moriensque eam vicit, et ictu quo fuit ab ea percussus eandem triumphavit: “^dillic plagam accepit mors a mortuo corpore lethali vulnere caesa^d”

^a *add.* “vobis” (BSV) ^b “et non” (*ibid.*) ^c “immortalitatis” (CP) *erronee*

^{d-d} “illic vulnus accepit diabolus, cum id lethale accepisset a corpore mortuo” (PG)

³ *Textum s. Leonis Magni hic allegatum in eius operibus invenire non potui.*

(Chrysost. hom. 6 ad Col.)⁴. Sperabat [L_{4r}] se mortuo in Cruce Rege nostro mors insolentissima victricem futuram, et en victa debellataque est; mors Regis populo salutem peperit sempiternam.

2. David nondum ex ephebis egressus castra Saulis Israelitarum Principis cum annona fratribus militantibus allata ingressus, intellexit Goliathum Philisthaeum Hebraeis agminibus insultare; quod ex illis nemo singulare certamen inire vellet, auderet nemo. Licet ea conditio certaminis proponeretur, ut si quis ipsum stravisset, Philisthaeos in uno Goliatho haberet omnes debellatos, ac servos. Commovit haec hostis improbi arrogantia generosissimi mum fortissimi Adolescentis pectus, itaque ad duellum sacrum cum Gigante superbo ineundum pro aris focusque divini populi sese offerens admittique in aciem postulans: “Quis”, ait, “est hic Philisthaeus incircumciscus, qui exprobravit acies Dei viventis” (1 Reg [Sam] 17, 26). “Non concidat cor cuiusquam in eo: ego [.....] vadam, et pugnabo [L_{4v}] adversus Philisthaeum” (v. 32). Armatur ergo regie: galea Saulis caput munit, lorica pectus atque tergum, scuto manus, latus ense. En bellatorem! Progreditur. Sed hem in puncto stat! Cur ita? “Non possum”, inquit, “sic incedere: quia non usum habeo” (v. 39). Abiectis igitur his omnibus, “tulit baculum suum, [.....] et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, [.....] et processit adversus Philisthaeum, [.....] percussumque ^a interfecit” (vv. 40. 50).

Io triumphae! victus est Gigas, vicit Puer. Sed ille Puer vicit, qui Christum referebat; victus Gigas, qui mortem repraesentabat. Quid enim est baculus Davidis, nisi Crux Christi? Quid lapides quini sunt, nisi vulnera Christi? His iste armis Goliathum ferocissimum et arrogantissimum, mortem inquam, nobis omnibus insultantem prostravit.

Devoraverat parens generis humani in pomo vetito mortem, vicissimque ab ea devoratus est. Dictum quippe illi fuit: “De ligno scientiae

^a add. “Philisthaeum” (BSV)

⁴ IOANNES CHRYSOSTOMUS, “In Epistolam ad Colossenses Commentarius”, c.II, Homilia VI : PG 62, 341.

boni et mali ne comedas, in [M_r] quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris” (Gen 2[, 17]). At ille spreto Dei mandato malum pessimum comedit, in malo pessimam mortem. Atque ita, testante Paulo, “per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors petransiit, in quo omnes peccaverunt” (Rom 5, 12).

Grassabatur itaque toto orbe terrarum terribilis Goliath, mors omnibus metuenda: victrix ubique, ubique triumphatrix. Nemo se illi audebat opponere, quia nec poterat. Omnes tamen illa consequebatur, omnes necabat. Et ideo homines iam dicti fuere mortales, quod morti subiecti. Tandem novus David castra hominum, sublunarem hunc mundum, ingressus, Christus inquam, Rex et Servator noster, arripit baculum, lignum nimirum Crucis proditque contra mortem pugnaturus. Quid vero tu, vorax bestia? Etiamne hic acuis dentes? At ego video, te a ligno ortam, hoc ligno conficiendam. Parvulus iste, super [M_v] cuius humerum principatus eius, merito tibi metuendus. Quae hactenus gigantes etiam devorabas, nunc certe pusionem non degluties. “Humiliavit” quidem ille “semetipsum factus obediens usque ad mortem” [Phil 2, 8], verum non subeundam solum, sed etiam subvertendam, extinguendam, extirpandam.

Audi? ut tibi superbae insultatrici humilis hic Crucifixus insultat? “De manu mortis liberabo eos” (nos, inquam, nos, quos tu hactenus conficiebas) “de morte redimam eos: ero mors tua, o mors” (Os 13, 14). Dictum, factum. “Mors quae per lignum venit, per lignum superata est” (Aug. ser. 10 de san.)⁵. Atque ita nos qui servi peccati, mancipia, imo pabulum mortis fuimus, liberi ab hac tyrannide per Crucem, per vulnera, per mortem Regis nostri Iesu Christi, iam facti sumus coheredes

⁵ *Textum s. Augustini hic allegatum non potui invenire quia in hodiernis editionibus sermonum eius datur diversa numeratio. Attamen etiam nullum bonum exitum dedit consultatio Indicis Generalis ad omnia opera s. Augustini, sub verbis “mors” et “lignum”. Nec in editionibus sermonum s. Augustini ex annis 1561 (ubi adest “de Sanctis sermo X”) et 1631 hunc textum inveni.*

eius, filii Dei. O mortem Christi victoriosissimam, quae morti mortem, nobis attulit immortalitatem. “Mortui” enim “qui in Christo sunt, resurgent primi” (1 Thess 4[, 16]). [M_{2r}]

3. Tres divini Evangelii Scriptores in eam sententiam conveniunt, quod Iesus “emissa voce magna expiravit”. Mortem debellaturus clamat? quamobrem? Fugiebat opinor, haec bellua teterrima, ubi sensit adesse interitum suum; ille autem ceu Leo de tribu Iuda rugitu hanc suo stitit, interfecit. Solenne nimirum fuit Christo clamore ingenti contra mortem insurgere.

Lazarus, quod bene meministis, amicus eius lethaliter obdormiverat, iam faetebat, iam quatruiduanus erat in tumulto (cf. Io 11). Ille autem suscitaturus ita dormientem, et somnum leti ab oculis eius depulsurus, “venit ad monumentum” et “voce magna clamavit: Lazare, veni foras. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus” [Io 11, 38. 43-44]. Territa voce vitae necisque Domini mors Lazarum deseruit, vitae reddidit: revixit, “qui erat mortuus”.

Sic debuit infernalis furia sterni, sic detegi nocturnus fur, sic nostri generis tyrannus profligari, “emissa voce magna”. Praeviderat hoc Isaias vates, et [M_{2v}] praedixerat cum respiciens aeternum Numen in Golgothaeo vertice morti colluctans, victoriam illi certam his verbis pollicitus est: “Et praecipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam, quam orditus est super omnes nationes. Praecipitabit mortem in sempiternum: et auferet [.....] opprobrium populi sui de universa terra. [.....] Deus noster iste [.....] salvabit nos; iste Dominus; sustinuimus eum; exultabimus et laetabimur in salutari eius” (Is 25, 7-9). Oraculum hoc iam secuta veritas: victa mors; nos immortales, modo Christi gratiam non in vacuum recipiamus, futuri.

4. Ioannes deliciae Christi, fidissimusque discipulus, et ad usque mortem comes, eius obitum sacratissimum describens: “Inclinato”, inquit, “capite emisit^a spiritum” [Io 19, 30]. Non desunt, qui acute sentiunt, ideo Christum inclinasse Sacrum Verticem, iam iam ingentem

^a “tradidit” (BSV)

illam divamque animam exhalaturum, ut pavidam mortem hoc nutu alliceret allectamque [M_{3r}] moriendo suffocaret. Mors enim Christi uti nobis pharmacum, ita morti toxicum fuit. Quod illa penitus, olfaciens trepidabat accedere quantumlibet iam cruciatibus confectum, et semi-animem. Quid enim, dicebat, ego cum hac offa faciam? deglutiam illam? atqui vereor ne media dirumpar et hos omnes bolos, quos hactenus absumpsi, restituam.

Quod timuit mors, plane hoc illam apprehendit. Ut enim suum virus Christo caput inclinanti propinavit, ipsa eodem afflata mirabiliter interiit. Audiendus hic Chrysostomus dissertissime id exponens, quod nos tantum innuimus: “Quemadmodum” (inquit ille) “qui cibum accipiunt, quem continere non possunt, etiam quae^a ante comederunt, propter illum evomunt: ita in Christi morte evenit^b. Mors, cum corpus, quod corrumpere non poterat, accepisset, etiam illa eiecit, quae comprehenderat: siquidem cum Christum haberet, dolebat et affligebatur, quousque eum evomit” (hom. 24 in 1 Cor)⁶.

Liceat [M_{3v}] tanto Oratori historicum adnectere; ut, quoniam ad Polonos verba facio, Poloni facinore praesentem materiam reddam illustriorem. Visitur ad radicem Vaveli montis, cui Arx Cracoviensis incubat, praesenti^c etiam tempore spelaeum, Draconis vulgo nuncupatum. Belluam enim, quam Holophagum nostri, Solinus⁷ Boam vocat⁸, hoc antrum inhabitasse et viciniam omnem pecudum hominumque

a “quem” (ICPC) b “usu venit” (ibid.) c “praesentis” (CP), ob errorem - uti videtur - typographicum

⁶ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homilia 24 “In Epistolam Pauli ad Corinthios Primam, Francisco Aretino Interprete”*, in: “D. Ioannis Chrysostomi Archiepiscopi Constantinopolitani in omnes D. Pauli epistolas commentarij”, Basileae 1536, p. 365, A.

⁷ Cf. FALCO Vittorio De, “Solino, Caio Giulio (C. Iulius Solinus)” : *EI XXXII*, 77-78, ubi legitur quod Solinus vixit in “metà del sec. III d.C.” et inter eius opera indicatur “Collectanea rerum memorabilium” - “una raccolta di curiosità, con speciale riferimento... agli animali”.

⁸ Cf. SOLINUS C. Iulius, “Collectanea Rerum Memorabilium”, ed. Th. Mommsen, Berolini 1895, pp. 39, vv. 13-15. 40, v. 3.

caedibus continuis vehementer afflixisse, inter alios rerum Polonarum Scriptores Varmiensis Praesul adnotavit⁹. Cracus igitur, vir non minus fortis quam prudens (a quo Cracovia nostra metropolis nomen et originem traxit) hunc modum interimendae belluae praeferocis aeque facilimum atque ingeniosissimum adinvenit. Corpora illi obiecta pice sulphure, fomiteque iussit infarciri; quae dum voracissime ventri transmittit, succensus ignis viscera eius tam ardentem torsit, ut vicinissimus^a Vistula senserit tantum suae lymphae a bellua potatrice exhaustum [M_{4r}] fuisse, quantum satis fuerit illi disrumpendae¹⁰.

Non absimile Danielis facinus divinis literis consignatum. Ingentem draconem Babylonii pro Deo venerabantur: iussus eandem stultitiam patrare Daniel generosissime abnuit, atque Regi: “Dominum”, inquit, “Deum meum adoro, quia ipse est Deus vivens. [.....] Tu autem Rex, da mihi potestatem, et interficiam draconem absque gladio, et fuste. [.....] Tulit ergo^a picem, et adipem, et pilos, et coxit pariter: fecitque massas, et dedit in os draconis, et diruptus est^b” (Dan 14[, 24-26]).

O quam insatiabilis est bellua mors voracissima! Nulli statui sexuique parcere visa, eo perpulerat mentes humanas, ut quasi Deam veritae venerataeque sint. Inde templa Libitinae¹¹ erecta ortum

^a *Intenditur: fluvius, cui nomen “Vistula”* ^b *add. “Daniel” (BSV)* ^c *add. “draco” (ibid.)*

⁹ Cf. SANNAZZARO Piero, “Kromer, Martin” († 1589) : *ECat VII*, 749, ubi legitur quod erat “storico polacco”, ab anno 1579 “vescovo di Varmia” et quod “compose una storia della Polonia fino al 1509, in 30 libri “De origine et rebus gestis Polonorum” (Basilea 1555), in cui si rivela critico acuto e latinista elegante”. Cf. etiam: GALL Stanisław, “Kromer Marcin, bp warm.” : *PEK XXIII-XXIV*, 49-50.

¹⁰ Cf. CROMER Martinus, “De Orgine et Rebus gestis Polonorum Libri XXX”, Basileae 1568, p. 21, A (Liber II), ubi legitur: “Fertur..., immanem belluam [...] a Craco astu interremptam esse, cum corpora illi obiicienda, pice, sulfure[!] et fomite succenso infarciri iussisset, et ignis conceptus viscera belluae torruisset”. Ibi tamen nihil legitur de “ut vicinissimus Vistula [...] disrumpendae”; quod auctor ab ignoto mihi alio scriptore desumpsit.

¹¹ Cf. GIANNELLI Giulio, “Libitina” : *EI XXI*, 65, ubi legitur quod est “divinità romana della sepoltura”, sed “nei poeti designa... la morte”.

habuere, colebaturque mors a prophana mortalitate, quia metuebatur. Sed en caelestis Cracus, en Daniel Sanctissimus Christus Deus noster nos metu hoc liberaturus seipsum huic monstro obiecit, sumendum quidem sed non absumendum. “Nec enim [M_{4v}] aliqua mulier” (dissertente aurei oris Praesule) “cum^a parit, ita dolet, ut mors^b, cum corpus Dominicum comprehendisset, distrahebatur, lacerabatur: et quod in Babylonio dracone factum est, quando accepto cibo crepuit medius, idem in hoc usu venit. Non enim per os mortis Christus ^c erupit, sed medio draconis ventre erupto^d clarissimus evasit”¹², nos pariter clarissimos redditurus.

Hoc namque nobis per Osee^e vatem pollicitus: “De manu mortis” - (dicebat) “liberabo eos, [...] ero mors tua, o mors! Morsus tuus ero, inferne” (Os 13, 14). Quapropter iure merito tripudians acclamat Ecclesia: “O magnum pietatis opus!” Mors mortua tunc est in ligno quauando mortua Vita fuit. Cum enim Iesus “inclinato capite” dans morti signum expiraret, ad nos vitae spiritus redibat; cum moreretur, nos fulcitabat; cum letum vinceret, nobis laetitiam parabat immortalis triumphi: Io triumphe! “Absorpta est mors” (exultans insultat morti Paulus) “in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus? [...] Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum” (1 Cor 15[, 54-57]).

*Vicisti Iesu, mortem moriendo: quid ultra
Restat? ut hanc etiam vincere me doceas.
Vincere me doceas, una mihi vivere dona,
In Ligno vitae, credo quod esse situm.*

^a “quae filium” (ICPC) ^b “illa” (ibid.) ^c add. “rursum” (ibid.) ^d “rupto, atque discerpto, ex adytis” (ibid.) ^e “Oseam” (CP), erronee quia Osee est nomen indeclinabile

¹² IOANNES CHRYSOSTOMUS, Homilia 24 “In Epistolam Pauli ad Corinthios Primam”, in: op. cit., p. 365, B.

INDEX

Prooemium	6
Tabula abbreviationum et siglorum	19
Epistola Dedicatoria.....	21
Discursus I: <i>Balneum Horti</i>	23
Discursus II: <i>Spontanea Vincula</i>	29
Discursus III: <i>Flagella Peccatoris</i>	42
Discursus IV: <i>Spineum Diadema</i>	52
Discursus V: <i>Onus Leve</i>	60
Discursus VI: <i>Crux Gloriosa</i>	67
Discursus VII: <i>Mors Mortis</i>	76

